

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**APHTHIS.**

---

QUAM  
IN INCLYTA ET ALMA UNIVERITATIS  
DUISBURGENSI

EX DECRETO  
EXCELLENTISSIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ  
PRO GRADU DOCTORIS

ET  
SUMMIS IN ARTE SALUTIFERA HONORIBUS  
RITE LEGITIMEQUE CAPESSENDIS  
PUBLICO ET SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTET

*DIE VIII SEPTEMBRIS MDCCLXXIV*

JOH. WILHELM. GOTTFRIED. ZANDERS  
DUSSELOPOLITANUS

H. L. Q. S.




TEUTOBURGI AD RHENUM  
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYFCOR.

G.  
219.



RESERVATUM  
IN  
ALPHABETIS

G. 719



1374 805 0A

DEO  
PATRIÆ  
PARENTI  
AVUNCULIS  
PRÆCEPTORIBUS  
FAUTORIBUS  
CONSANGUINEIS  
ATQUE  
AMICIS

SACRAT  
AUTHOR.




DEO  
PATRIAE  
PARENTI  
AVUNCULIS  
PRAECEPTORIBUS  
TUTORIBUS  
CONSANGUINEIS  
ATQUE  
AMICIS

SACRAT  
AUCTOR





## PRÆFATIO.

eges moresque eum postulent,  
ut gradum Doctoris acceptu-  
rus specimen aliquod profec-  
tuum ederet, publicaue disquisitioni sub-  
mittens, defenderet. Dubium me diu at-  
que incertum hasisse, quamnam pro ejus  
specimine feligerem materiam non diffiteor.  
Varias materias animo cogitationeque per-  
curri.

curri. Sed cum centies repetita repetere  
nollem, mox ab iis abstinere coactus sum.  
Denique cum in ultimis annis Aphthæ  
hic frequenter se febribus associaverint, om-  
nesque affectiones, sub nomine Aphtha-  
rum intus lectas, distincte tractatas nulli-  
bi invenirem, animum ad harum elabo-  
rationem inducere ausus sum. Ast! quid

Tiro



*Tiro novi de morbo proferre potest.  
Hoc si considerem timore percussus de  
materia mox abstinuisssem; nisi, quod si  
multa majoris momenti omissa, plura mi-  
nus accurate dicta invenient Lectores, id  
mea juventuti temporisque brevitati facile  
condonaturum esse, spe niterer. Cumque  
etiam juniorum medicorum nulla fit expe-  
rientia, nilque nisi, relata referri possint,  
neminem*

neminem prudentum mihi vitio vertere,  
quod ex Celeberrimorum Auctorum &  
Reverendorum Praceptorum meorum col-  
lectis praesens specimen concinnaverim ac  
publice ad examinandum proponam, spe-  
ro. Hac spe ergo excitatus hanc mate-  
riam valde criticam exarare, omnesque  
Aphtharum species, quas ex Scriptorum  
veterum recentiorumque scriptis delineare  
potui, in ordinem redigere non dubitavi.





DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
APHTHIS.



§. I.



Verbum *αφθαι* commode mihi ex verbo *αφθαιεν*, locum occupare, sive *αφθαιεν*, incendi originem suam ducere videtur, licet hinc omnia videntur, quæ a partium ardore prodeunt, dici posse Aphthas. Ex verbo ipso, priscos Medicinæ cultores græcos cuidam morbo nomen *αφθαι* jam attribuisse, facile patet, cum græca e lingua exoriatur.

A

oriatur.



oriatur. Sed an unusquisque scriptorum, hoc verbo  
usus, eo eundem morbum indicare voluit? adhuc  
dubitandum est. Apud Hipocratem hoc verbum sæ-  
pe occurrit, sed variis diversa affectione laborantibus  
partibus dedit. Ulcuscula non solum os internum  
sed & alia corporis loca occupantia nomine Aphtha-  
rum designavit. Ita ulcuscula oris interni Aphthas  
nominavit. " Cum, serpentina, inquit, oris ulcera  
" (στόματα ἀφθώδεια) in prægnantibus bono non  
" sunt (a) & in utero jam gerentibus, fluxiones ser-  
" pentina oris ulcera (ἀφθώδεια ρεύματα) cum dolore  
" malum denunciant. (b) Porro prægnantibus fluxio-  
" nes cum serpentibus oris ulceribus (ἀφθώδεια ρευ-  
" ματα) malo sunt. (c) Deinde alio loco serpentina,  
" inquit, oris ulcera (τα ἀφθώδεια στόματα) in uterum  
" gerentibus alvum humectant. (d)" Rursus ubi  
de muliere lactante & feбри acuta laborante agit,  
dicit " Huic ex reliquorum incendio lingua succensa  
" est. Sub hoc tempus lingua etiam velut denso  
" grandine (ὡσπερ χαλαζώδει πύκνο) exasperabatur (e)  
adeoque hanc ægram Aphthis laborasse non impro-  
babile videtur. Et (f) recens natis Aphthas fami-  
liares

---

(a) in coac. Prænot. No 514.

(b) Ibidem No 529.

(c) Ibidem No 539.

(d) Ibidem No 544.

(e) In Epid. 1. 3. Textu VI. Chart. Tom. IX. p. 314.

(f) In Aphor. 24. Sect. III.



liares sequentibus verbis esse dixit. "Per ætates hæc  
" eveniunt, parvis & recens natis pueris serpentina  
" ulcera oris Aphthæ dictæ &c." Hipocrates etiam  
ulcusculis similibus aliis corporis locis insitis Aph-  
tharum nomen dedit, ita Pulmonum fistulam Aph-  
this aliquando laborare dixit (a) & ulcera puden-  
dorum pariter (b) sequentia verba faciens: "Si super-  
" ficiariæ igneæ exulcerationes ( ἢν ἀφθῆσι τὰ αἰδοῖα )  
" in pudendis fuerint, myrti baccis, in vino decoctis  
" pudenda collue. Et porro (c) hæc verba fun-  
" dit. Si superficario ulcere ( ἢν ἀφθῆσι, τὰ αἰδοῖα )  
" laborent &c. Deinde (d) si Puerperæ pudenda  
" ulcere superficario ( ἢ παιδῆ, ἀφθῆ τὰ αἰδοῖα ) labo-  
" rarint &c. Rursus in libris, ubi de morbis mu-  
" lierum agit (e) dicit, si puerperæ pudenda ulcere  
" superficario ( τῆν παιδῆ, ἀφθῆ τὰ αἰδοῖα ) laborent.  
Ex his ergo dictis pellucide patebit Hipocratem ver-  
bum Aphtharum variis affectionibus attribuisse. Non  
vero solus Hipocrates Verbo Aphtharum usus est, sed  
plures illum sequentes græci medicinæ scriptores de-  
finitionem de Aphthis nobis tradunt. Aretæus ma-  
gnus ille græcus autor morbum quendam, quem no-  
mine Aphtharum designavit, describit, & sequenti-  
bus

A 2

- 
- (a) in Libr. II. de morbis Cap. XVIII. Chart. Tom. VII. p. 570.  
(b) Libr. de Natura mulier. p. 581. Edit. Foesii.  
(c) ibidem p. 538.  
(d) ibidem p. 584.  
(e) L. I. p. 605. Edit. Foesii.



bus verbis definitionem ejus communicat (a). "Pesti  
" fera sunt lata, cava, pingua, quodam concreto  
" humore albo, aut livido, aut nigro sordentia, id ge-  
" nus ulcerorum APHTHÆ nuncupantur. Aetium græ-  
cum etiam autorem ulcuscula parva, os internum &  
linguam occupantia, paucoque numero observata, in  
medio albam maculam vel flavescentem habentia,  
in toto ambitu rubra, inflammata & dolentia APH-  
THAS nominasse, facile patet, si ejus descriptionem  
earum (b) legamus, quas infantibus familiares &  
facile curabiles esse dixit. Ex Historia Medicinæ  
Freindii (c) elucet, Actuarium optimum græcorum  
autorum in suis libris de Methodo Medendi, ubi de  
morbis puerorum agit, etiam Aphthas descripsisse.  
Julium Pollucem vero Aphthas nosse ex sua descrip-  
tione, quam nobis communicat, evidenter lucet, cum  
legatur (d). "APHTHA, exulceratio & abscessus  
" superficiatenus, dealbicans, linguam vel parist.  
" mha, vel uvulam, vel guttur occupans. Omnibus  
Autoribus græcis, qui quantum perscrutare potui,  
Aphtharum mentionem fecerunt, enumeratis, earumque  
descriptione considerata ad scriptores romanos per-  
veniamus, ut indicare possimus, quid de Aphthis no-  
bis tradunt. Celsus antiquissimus autor Romanus in  
suis

---

(a) in Libr. f. II. de Caus. & Sign. morbor. acut. C. 9. p. 7.

(b) Libr. VIII. Cap. XI. XII. p. 159.

(c) p. 208.

(d) L. IV. Cap. XXV. Sect. 200. p. 470.



fuis scriptis nobis communicatis APHTHAS definivit ( a ) per ulcera oris serpentina. Hunc unicum autorum usque ad seculum sexentesimum victorum mea perscrutatione invenire potui, qui de Aphthis commemoravit.

Sylvius inter recentiores scriptores Aphthas memorat, ejusque definitionem earum invenimus, ubi de Affectu epidemico ab Augusto Mens. 1669. ad fin. Januarii 1670. in Leydenfis urbis incolas faviente agit ( b ) his verbis. ( " Sunt autem APHTHÆ, ulcuscula, sed cuticulam non nisi, quando " crusta decidit, a subjectis partibus tollentia ). Post hunc de Aphthis scripsit, quidam Goth. Sam. Polifius Med. Professor extraordinarius & Physicus Frankofurtenfis ad Oderam ( c ), hancque descriptionem " nobis tradit. APHTHÆ sunt oris interni ulcus- " cula superficialia, non linguam solam, sed & palatum, & gingivas ac labia afficientia. Clb. Borhave etiam totum caput de Aphthis tractans scripsit ( d ). Desuper Vincentium Ketelcerum eleganter de Aphthis agentem de memoria excidere non debemus, meque Commentarium ejus de Aphthis nostratibus nemini ignotum esse persuasum habeo. Neque Clb. Vogel

A 3

Præ-

---

( a ) L. II. Cap. I. p. 46.

( b ) in Apend. praxeos Med. de Affectibus quibusdam memoratu dignis Tractat. X. §. 273. p. 273.

( c ) in sua Myrrhologia p. 191.

( d ) vid. ejus Aphor §. 978.



Præceptorem meum summe Colendum totum Caput de febre Aphthosa nobis tradentem ( a ) silentio transire possum.

§. II.

Ex his dictis ergo patet, verbum *αφθαί* variis in affectionibus usurpatum esse optimeque illud sequenti modo definiendum esse generaliter. Si dicamus APHTHAS esse morbum cum ardore & siccitate linguæ incipientem, sub forma rubicundarum vel pellucidarum pustularum erumpentem, quæ vero pustulæ mox post eruptionem ad albicantem aut ad cineritium aut ad ravam colorem vergentes, quandoque ad ulcuscula declinantes, uvam, fauces, genas internas, gingivas, linguam, labia aliasque interdum corporis partes occupantes, album, tenacem, glutinosum mucum emittentes, vel febribus malignis ad instar cryseos sed infidæ superveniunt vel succedunt vel sine febre expullulant.

§. III.

Varias ergo dari species APHTHARUM perspicue elucet, aptissimeque eas mihi in acutas & chronicas dividi posse videtur, si sub acutis eas intelligamus Aphthas, quæ cum febre conjunctæ sunt, vel

---

( a ) vide ejus Academ. Prælect. de cognoscendis & curandis præcip. Corp. Hum. Affectibus §. 164, p. 118.



vel potius tanquam Symptoma febribus superveniunt. Sub chronicarum vero genere eas, quæ nec cum febre proveniunt, nec febri succedunt, sed ad instar morbi primarii considerari debent.

§. IV.

APHTHÆ acutæ, sive tanquam Symptoma febribus supervenientes sunt Pustulæ albicantes, aut ad cineritium, aut ad fuliginæum colorem inclinantes, quæ uvam, fauces, palatum, gingivas, tonsillas, genas internas, linguam labiaque & quandoque Oesophagum occupant, atque ex quibus tenax & glutinosus mucus promanat.

Febres, quibus hæ Aphthæ se associant sunt febres continuæ putridæ, testimonio Clb. Borhavii (a) Vincentii Ketelari (b) Vogelii (c) van Swieten (d) & Ludovici Goth. Kleinii (e). Porro superveniunt febribus intermittentibus experientia Clb. Ketelari (f) & Borhavii (g) & Vogelii (h) & van Swieten (i) qui  
se

---

(a) In suis Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 389.

(b) Vid. Comment. de Aphth. p. 15.

(c) In suis præl. de Cogn. & Cur. Corp. hum. Affect. §. 164.

(d) In suo Comment. ad Aphor. Borh. T. III- §. 389.

(e) In Interpret. Clinico. p. 88.

(f) Ibidem p. 28.

(g) In loc. cit.

(h) In loc. cit.

(i) In Comment. ad Aphor. Borh. p. 231. §. 389.



se APHTHAS in muliere quinquagenaria post aliquot tertianæ exquisitæ paroxismos vidisse affirmat. Exanthematicis. E. g. Variolis ( a ) variis purpuris, id quod Clb. Vogel ( b ) & Klein ( c ) testimonio suo affirmant. Junck: eas ex purpura tam rubra quam alba recedente oriri videbat. Dysentericis & Dyarrhœis. Sydenham id hisce verbis contestatur. ( d ) " Cum, " APHTHÆ, inquit, insuper exeunte morbo, oris " interna, faucesque sæpenumero obsident. Porro notat ( e ) eodem tempore, quo febris dysenterica grassabatur, febrem quandam ortam fuisse absque dysenteria, omnibus tamen symptomatibus instructam, quæ feбри dysentericæ adscribi possunt, eique feбри facillime Aphthas supervenisse; de super & Clb. Borhave ( f ) & Vogel ( g ) & Klein ( h ) ei assentiunt. Porro & inflammatoriis. Approbante testimonio suo Ketelæro ( i ) qui veram Pleuritidem Aphthis

---

( a ) Comment. litter. Norimb. [Hoffman Med. Rat. Syst. C. IV. p. 153. & 172.

( b ) In f. Prælect p. 101.

( c ) Loc. cit. p. 244.

( d ) In oper. Sect. IV. cap. III. p. 180., ubi de Dysenteria partis Anni 1669 atque integrorum 1670 — 71 — 72. agit.

( e ) Eod. loc. Cap. IV. p. 190.

( f ) In f. Aph. loc. cit.

( g ) Loc. cit.

( h ) I. f. interpr. Clin. p. 69;

( i ) In f. Comment. de Aphth. p. 33.



this comitatam vidit, & Vogel (a) & Klein (b) qui eas ventriculo inflammato facile socias esse dicit. Et Catharralibus Malignis, testante Klein (c) & denique Pthysicos ultimo statui, observatione Clb. Vogelii (d) Kleinii (e) aliorumque clarissimorum virorum.

§. V.

Sedes Aphtharum in emissariis ultimis, quo liquor secretus in os effunditur, humore spisso obstructis optime ponitur. Talia vero emissaria liquorumque dari ex Physiologia & Anatomia satis patet, quæ demonstrat, præter Glandulas Parotides, quæ salivam secretam per ductus suos proprios circa dentem tertium molarem dimittunt in os, præterque glandulas maxillares, quæ sua emissaria sub lingua prope Frenulum emittunt, nec non præter glandulas sublinguales similibus osculis patentes sub lingua, vel hiantes in ductibus glandularum maxillarum, vel juxta gingivas dentium molarium, præter hos sex ductus salivosos in lingua, palato, gingivis labiisque esse emissaria exigua, magnam copiam liquoris tenuis in ore ubique exstillantia, cibis inter manducandum

B

commif-

---

(a) Loc. cit.

(b) Ibidem p. 16.

(c) In interpr. Clin. p. 94.

(d) In f. Præl. acad. p. 121.

(e) Ibidem p. 234.



commiscendam, cryptasque multas glandulosas in dorso linguæ aliisque partium locis materiam mucosam pro lubricandis oris interni partibus emittentia inveniri. Oculis nos vero certiores de hac re facere possumus, os hominis enim si inspiciamus, id ubique humidum inveniemus, summa ergo cum probabilitate concludere possumus hunc liquorem ortum suum ducere ex emissariis ultimis sive vasis exhalantibus. Optime hoc tamen elucet, hunc humorem si abstergamus, tunc enim eum statim parvis guttulis ex suis canalibus præminere videbimus. Si vero hic liquor lentior redditur adeoque ex ultimis emissariis propelli nequit, extremum hujus vasis obstruit, interim a tergo urgentis liquoris vi ultra superficiem extremi canalis protrusus pustulas exiguas albicantes format & tunc Aphthas adesse dicimus, quæ mox a humore affluente vasis dilatatis magis elevata melius in conspectum veniunt. Sedula Aphtharum inspectio orientium, adeoque solitariarum sententiam satis affirmare videtur; inspectio vero Aphtharum jam dudum proditarum, adeoque totum os vel totam linguam jam tegentium id minime nobis comonstrabit, id quod vero pulchrius in lucem prodit, si deciduis Aphthis novæ oriantur, ut sæpius fieri solet, tunc enim primo conspectum nostrum subeunt in superficie partium oris interni punctula minima albicantia, se mox argentia paucisque in horis crustam pristinae jam deciduæ similem efficientia, ita ut  
videa-



videatur, ac Aphthæ nunquam decisæ essent. Præterea Aphthæ jam jam prodituris frequens est videre, os multo esse aridius, & si eæ copiosissimæ erunt, sæpe os plus siccum observatur, indicio evidenti, emissaria dicta esse obstructa, atque hinc elucescit unicam talem pustulam esse unicum emissarium vasculi salivosi aut mucosi obstructi. Porro hanc sententiam testatam facit salutis spes, qua nitimur, quando Aphthæ antea siccæ nunc humidæ apparent, inde concludere possumus, fines emissariorum ultimas rursus esse apertas, humoremque in iis hærentem adeo esse resolutum, ut ultimis finibus vasorum prodire possit, adeoque Aphthas mox a partibus adhærentibus separaturas esse. Ex his ergo facile patebit, hanc sententiam de sede Aphtharum probabilem esse. Ast! Sylvius ( a ) cuticulam ab acrimonia quadam humorum, eorundemque halitu ad os ascenso corruptam & post incrassationem notabilem ad secessum aptam redditam pro Aphthosa crusta habet. Sed cum quæcunque acrimonia nervos nimis irritans & ut adstringens in hoc sensu considerata Aphthas, uti quodcunque exanthema, non promoverit, sed retropellet potius præsentès Aphthas, id quod Ketelaer suo testimonio certius reddit ( b ). Omnes enim causas externas, adeoque omnes acres humores quocunque

B 2

modo

( a ) in Tract. de Affect. epidem. 1669—70. in Leydenf. incol. savient. p. 832.

( b ) in Comment. de Aphth. p. 14



modo in os delatos partesque teneras mollesque oris interni erodentes & exedentes pro causa Aphtharum haberi, ridiculum esse dicit, & porro omnem, inquit, acrimoniam, seu assumtorum, seu catharros in subiectum os delapfos, seu e ventriculo exhalantem non exitaturum, sed natas Aphthas oboliturum esse. Quomodo cuticula corrupta Crusta Aphthosa esse potest? Si oculis & observationibus suis Practici mailent credere quam præjudiciis, quæ temere ab antiquis hausere, fateri cogerentur, sedem Aphtharum nullam aliam esse ac ultima emissaria obstructa. Borhave etiam nostræ sententiæ ( a ) accedit.

§. VI.

Aphthæ ergo sunt Pustulæ, non vero Ulcuscula ut quidam eas definiunt. Maximo vero hi versantur in Errore. Quid enim Aphthæ cum ulcere? Decisæ partem, cui adhæserant integram relinquunt nullamque cicatricem creant. Hoc optime Ketelær ( b ) frequentissime Aphthas visus observavit. " Non hic, inquit, solutio continui, non imminuta, sed aucta magnitudo est. Pariter non exedendo escheram seu crustam tenellis partibus inducunt, sed vel maturæ frustulatim decidunt, vel interiora repetendo non manifestiora sui vestigia, quam si nunquam

---

( a ) in f. Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 980.

( c ) in f. Comment. de Aphot. p. 12.



"quam fuissent, in ore relinquunt". Nunquam porro a Pure ulcusculis proprio madefactæ inveniuntur. Nunquam enim iste mucus, quem emittunt pro pure habendus est. Ille non lingua crusta obducta promanat, sed Aphthis jam deciduis solummodo in conspectum venit. Porro ex paragrapho antecedenti factis elucet, eas in numero uscusculorum poni non debere. Veteribus jam notum fuit, eas ulcuscula non esse. Hipocrates (a) jam eas densam grandinem vocat non vero ulcuscula. Julius Pollux (b) eas per abscessus superficiatenos dealbicanes definit. Hic vero APHTHAS superficiem linguæ & faucium obducentes, & alba crusta regentes intellexisse, facile patet, notum enim est, aliquando abscessum vocari materiam pravam ad certa corporis loca depositam, testimonio Clb. van Swieten, (c) qui præterea, inquit, " & Abscessus nomine vocabatur illud naturæ humanæ molimen, per quod ex sanguine separabantur quædam nocitura, quæ evacuebantur de corpore, vel deponebantur ad quædam loca: & Galeni. (d) Sylvius etiam nostræ definitioni assentit (e), cum illas

B 3

qui-

---

(a) Conf. nostr. §. I.

(b) eodem loco, quem in §. nostr. I. citavimus.

(c) Comment. ad Borh Aphor. T. I. §. 402. p. 692.

(d) Comment. 2. in Libr. I. epidem. Hipocr. Textu 44. Chart. Tom. IX. p. 55.

(e) in Apren. Praxeos Med. de Affect. quib. memoratu dign. Tract. X. §. 273. p. 831.



quidem vocet ulcuscula, sed facile intelligetur, si §. sequentem legamus, illum Aphthas non pro ulcusculis cuticulam carnemque rodentibus habuisse. "Cum" ita ergo APHTHÆ, inquit, corrumpunt quidem linguæ, palati reliquarumque oris partium cuticulam, non ita ipsam consumant, sed crustæ adinstar ipsis adhærentem sinant, donec paulatim decidunt". Quis ergo illum per hanc descriptionem pustulas intellexisse dubitabit?

§. VII.

Tegitur ergo vel harum omnium vel pauciorum partium superficies his Pustulis, quæ multitudine sua crustam sive telam albam efformant, tenacissime adhærentem. His limitibus vero non semper contineri putantur Aphthæ. An vero Ventriculum & intestina inficiunt, in quæstionem adhuc positum esse debet, & sectione cadaverum demonstrandum erit? Aliquot quidem Clarissimorum Virorum has partes nominatas Aphthis occupari statuunt. Sed qua Ratione? Borhave ( a ) gulam, inquit, stomachum, intestina tenuia Aphthis obduci & quidem hoc ille hac ex ratione concludit, quia, dicit, hic etiam talia emissaria, mucum emittentia, sunt, ac in ore, adeoque talis materia spissa fines eorum obstruere potest. Ast Magnus ejus Commentator ei non assentit, sed ea de  
re

---

( a ) in l. Aphor. de C. & C. M. s. 981.



re adhuc in dubitatione hærebat. Clb. Ketelær ad Borhavii sententiam accedit, quia eas tanta copia per alvum osque dejectas vidit, ut illud non tribui posset lamellulis talibus deglutitis, quæ in ore & faucibus deciderent, his enim verbis sententiam suam nobis communicat ( a ). "Sæpe nec his limitibus subsistunt, sed pomæria proferunt ad imas fauces, guttam, Oesophagum & quæ his continua sero solent proluui. Hujus rei non levia nec pauca indicia sunt; nam ut ea præteream, quæ a deglutiendi & spiritum ducendi difficultate petuntur, instar omnium documento est, Aphthas quando jam maturerunt & excernuntur tanta copia aliquot dies & per os & per alvum rejicit, ut aliquot pelves vel matulæ congestas eas vix capiant ( & porro, ut, dicit, non immerito videri possim stupore quodam in eam opinionem raptus, tantis Aphthis conspectis, ipsum ventriculum & tenuia intestina interius iis obsessa fuisse ) Ast! Quanquam tanto Viro nihil derogatum velim, mihi tamen incredibile videtur eum aliquot pelves congestas eas vix capere vidisse, si enim totum os, faucesque ac tota intestina tanta crusta obsessa sæpiusque hæc decisa nova orta esset, nunquam vero tanta copia lamellularum in lucem ederentur. Maxime aberrat Ketelær, si inde Argumentum suum ducere velit. Non mirum enim est,  
cum

---

(a) in s. Comment. de Aphth. p. 12.



cum consideremus, alias decidere, alias rursus oriri & quidem hoc repetitis vicibus, præcipue si omnium partium oris interni & faucium superficies his pustulis tegatur crustam albam tenacemque formantibus. Quid ad sectionem cadaverum attinet? Nos sumus incertiores. Osterdyk-Schacht quidem in excercitationibus practicis retulit, se Anno 1706. propriis oculis lustrasse & pluribus adstantibus demonstrasse in Cadavere sceminae Pthysi emaciatæ in Hepatis, Lienis gibbæ parte, hincinde in Mesenterio, in toto fere intestinorum tenuium tractu Aphthas compactas & lubricas, illis, quæ in lingua, genis internis faucibusque observantur, prorsus similes. Sed hic non dicit directe, Aphthas fuisse, sed lubricas, inquit, iis quæ in lingua, genis internis ac faucibus, prorsus similes. Sed fortasse materiam purulentam intestinis agglutinatam lubricam pro Aphthis habuit. Quomodo Aphthæ lubricæ fieri possunt? Cum ob crustam Aphthosam, qua intestina obtecta fuisse dicit, mucus vel lympha, alias ex vasis in intestina emissus, profluere non possit. Præterea idem Clb. Vir Anno 1707. in cadavere icterici eas albicantes & non nihil dispersas in intestinorum & ipsæ vesicæ urinariæ superficie invenisse vult. Quanquam tanto viro, nihil derogatum velim, mirum tamen mihi videtur, neminem aliorum Clarissimorum Practicorum Anatomiaque Cultorum ejus rei mentionem fecisse. Præsertim cum res tam diu in  
lite



lite hareret. Clb. F. Hoffman (a) asserit, se sæpe post mortem per totum Oesophagum Aphthas dispersas sed non in ventriculo & intestinis invenisse. Præterea Ventriculus totaque intestina aphthosa crusta si obducta essent, quomodo motus peristalticus succederet? Si non plane desineret, tamen valde impediretur.

§.VIII.

APHTHÆ cito in partes prorumpere citoque evanescere possunt. Aphthis defluis & sic quasi disparentibus, id quod sæpe inter primos dies, immo paucas horas fieri potest, ut, cum paulo antea totum os iis obductum videres, nunc plane purum ac nudum invenias. Ægri tunc se consolari solent, hos cruciatos nunc finitos iri. Ast! Quæ vana spes? Interdum statim novæ succrescunt, quæ suum spatium ad maturationem iterum requirunt, deciduis longe periculosiores. Hocque sæpius & repetitis vicibus fieri potest. Sexies septiesve & sæpius Aphthas sic renatas vidit Ketelar (b) & van Swieten (c) morbum longe in hebdomades & menses protrahentes. Aphthis deciduis siccitatem partium antea aphthosa crusta obsessarum si observemus, brevi tempo-

C

re

---

(a) In Med. Rat. Syst. Supplem. p. 43.

(b) In l. Com. de Aphth. p. 21.

(c) In l. Com. ad Aphth. Borh. Tom. III, §. 986.



re novæ renascuntur, sæpiusque æque densæ, immo & densiores decisis, si vires vitales adhuc sufficiunt ad expellendam materiam morbosam. Sub hoc vero statu quamvis Ægri ipsi, quia melius & expeditius spirare ac deglutire possunt restituti sibi videantur, magno in periculo versantur, nisi brevi novæ oriantur Aphthæ, tunc enim materia aphthosa febrem exacerbatur cum anxietate & molesto sensu circa præcordia, præcipue, si ægri sint tam debiles, ut eas vires vitales expellere non possunt, & mox ægri perirent, nisi aphthæ ope medicamentorum provocentur. Si loca deciduis Aphthis rubra & humida apparent, vel pauca vel nullæ renascuntur Aphthæ, materiam enim morbosam e corpore educatam, viscosamque resolutam esse patet. Alia exanthemata tempus certum fixumque originis evanescentiæque habere solent, sed hoc de Aphthis non observari, nullumque certum tempus, quo separatio fieri solet determinari potest. Aphthæ vel jam primo vel septimo die vel demum post plures nascuntur. De separatione idem notum est. Aliquando enim intra paucos dies immo horas separantur. Aliquando plures dies firmissime adherentes manent. Neque omnes simul decidunt, sed nunc in hac nunc in illa oris interni parte. Quandoque inter deciduas Aphthas & novas prodeuntes aliquot dierum intervallum intercedere solet.



## §. IX.

Causas ergo APHTHARUM optime mihi in remotas & proximas dividi posse videtur.

Ad remotarum classem omnia, quæ materiam ad Aphthas procreandas aptam parant, enumerare volumus. Huc pertinet illa humorum Cacochymia, quæ in febribus continuis observatur (§. IV.) in his enim febribus humorum motus cernitur adeo velox. Intenditur gradus caloris. Omnes secretiones ac excretiones augentur. Fit sanguinis exsiccatio ex particularum aquosarum consumptione. Humores ergo magis magisque disponuntur ad concretionem; Dum interim motu aucto vasa sensim ampliantur & recipiunt illam materiam viscidam, quæ exsiccata Aphthas parit. In febribus continuis putridis vero sanguis putredine solvitur, vasaque fiunt laxiora, adeoque serum magis resolutum in ultima emissaria intrare sinunt.

Febres intermittentes simplices (§. IV.) causam remotam Aphtharum nobis præbere possunt, hæ enim ortum suum vel impuritatibus primarum viarum vel obstructionibus debent. Hæ collectiones si non tempestive evacuentur, in sanguinem vehuntur, cum eodem circumeunt, attenuantur, ut subire possint emissaria oris, vero per eadem transfluere nequentes morantur atque incrassantur, dum interim febris majore



ri minorive magis in eadem adiguntur, ibique in Aphthas abeunt. Huc etiam referendæ sunt febres intermittentes continuæ factæ. Intermittentium & in primis autumnalium materia est segnior, lentior & sæpenumero in his adest primarum viarum infarctus saburra quædam viscida, si initio invasionis, ubi materia nondum est temperata, vel diluta, vexentur remediis & regimine calidissimis, stimulantibus validis, funditur quasi illarum materia & impetu quodam facta ruit in sanguinem, ibique motu exaltatur & exacuitur stimulando, obstruendo facit febrem continuam & producit similes effectus modo memoratos. Febres continuæ remittentes, quæ juxta illarum naturam in intermittentes vergere solent, non solum cruditates primarum viarum sed etiam ordinario viscerum infarctus & aliquando levem horum inflammationem pro causa agnoscunt. Hinc sudoriferis calidis tractatis eandem materiam ad Aphthas producendas aptam gignere possunt.

Febribus Dysentericis etiam quandoque Aphthæ se associant. In iis enim liquidissimi educuntur e corpore humores copiosis illis evacuationibus, adeoque humores residui magis viscidi remanent. In Febre autem Dysenterica sine alvi fluxu, quam observavit Clb. Sydenhamus (a), materiam Dysentericam  
in

---

(a) In oper. l. Sect. IV. cap. 3.



in primis viis collectam & quasi putrefactam, ob exitum denegatum raptam in sanguinem, cum eo circumferentem, pulsam ad emissaria ultima, (§. V.) ea abstruentem, dum mora & stagnatione fit lentior, pro Aphtharum causa considerari posse mihi probabile videtur. Cum, eidem materię antea solitę e corpore egredi, si exitus per medicamenta adstringentia & calida negatur, in sanguinem retropelli & sic causam Aphtharum remotam esse posse Clb. Sydenham observaverit & contra purgatione sub initio data atque aliquando repetita pręcaveri posse Aphtharum ortum.

In febribus exanthematicis e. gr. Variolis precipue confluentibus, ubi tota superficies corporis hisce obsessa, vasa cutis excretoria vel sunt compressa vel obturata. Hinc materia illa, quę per transpirationem alias e corpore excerneretur, remanet. Natura illam ad glandulas salivales transferendo & salivationem & excretionem mucı & salivę viscosę procreando se sublevare tentat. Si nunc simul hoc serum viscosum ultima emissaria oris ingrediatur, tunc hoc serum viscidum pro causa remota Aphtharum considerari potest. Porro materiam purulentam reforbitam cum sanguine circumferentem, ad os depositam Aphthas gignere posse mihi verisimile videtur. Nonne enim hic Aphthę pro metastasi materię purulentę sanguinem putrefacientis haberi debeant?



Et febribus inflammatoriis Aphthæ superveniunt. In Pleuritide enim ut & in aliis morbis inflammatoriis sanguinis partes aquosæ consumuntur remanentibus crassioribus. Hinc serum fit viscidum & tenax, quod permeare valet solummodo vascula paulo majora. Illi humores spissiores, si vi febris auctæ impellantur in dicta emissaria, ea infarciunt, obstruunt, dum interim humorum velocius motorum impulsu obturationes illæ attolluntur in Aphthas. Aliquando etiam post dolorum cessationem Pleuritici Aphthas corripiuntur, ibi vero materiam inflammationis resolutam cum sanguine corpus permeantem, ad os delatam, adeoque metastasin ejus materiæ Aphthas causare non incredibile videtur. Desuper in inflammatione ventriculi vomitu omnia & potus & cibi rejiciuntur, ita ut sanguis dilui non possit, hinc tenacitas humorum major, qui, cum frequenti vomitu sanguinis congestiones, magis fiant ad caput, cum sanguine ad os propelluntur, ibique materiam in ultima emissaria oris pro Aphthas gignendis deponunt. Inde patet etiam, cur Aphthæ ventriculo inflammato sæpius sunt sociæ? Et quoque in febribus catharralibus Aphthæ observantur, Catharrus est congestio humoris serosi ad fauces, asperam arteriam &c. orta a subita refrigeratione, cui febris sæpe se adsociat, qua pars aquosa sanguinis consumitur, adeoque sanguis spissior redditus circulationeque aucta humores serosi, jam congestione in vasis oris delati spissioresque redditi magis pro-



protruduntur, sed ultima emissaria transire cum nequeant, Aphthas parent. Quandoque viscosa putridaque lymphæ febri catharrali putridam indolem inducit, quæ etiam, ut petechiæ in hac Febre prodeant, efficit, tunc Febris Catharralis ab Hoffmanno aliisque Febris Catharralis maligna sive Petechizans nominatur. In his etiam febribus Clb. Klein ( §.IV. ) Aphthas observavit, quæ ab hac viscosa putridaque lymphæ ad os deposita derivari posse mihi verisimile videtur.

Et Pthyfin, præcipue ejus ultimum statum & ulcera interna Aphthæ etiam comitantur. Nonne vero in hoc statu Aphthæ puri in sanguinem resorbta perque circulationem ad os delatæ ortum suum debent? Aegri enim febri quasi putrida a pure resorbta sanguinem putridam reddente corripiuntur, sudoribus nocturnis diffluunt, qua humores aquosæ e corpore exeunt, quo materia ulcerosa adhuc fit spissior, Natura vero ultimo quasi conamine, sed irritò eam per Metastasin ad os deponit.

Præterea & Senectus causam remotam nobis præbere potest. In senibus febre correptis vires vitales nimis sunt debilitatæ, adeoque longiori tempore fit coctio morbosæ materiæ, criticæ evacuationes lentiores. Natura per Metastases se juvare vult. Repe-  
titis quidem vicibus id efficit natura, quod vel simul  
vel



vel semel majori cum impetu in junioribus efficere solet. Sed & Regionis situatio multum ad Aphthas producendas confert. Fugiunt enim quasi Aphthæ regiones calidas, amantque e contrario Regiones Boreales locaque paludosa, in iis enim pori concluduntur, sic que materia morbosa, quæ per vasa exhalantia excerni deberet vel omnis vel magna ejus pars in corpus retinetur. Ketelær ( a ) fuit in opinione, quod in calidis regionibus corporum humanorum habitus cum rarior sit & ad diaphoresin & ad sudores magis comparatus, ibi in morbis sæpe per sudores diffluuntur, quæ sub humidiori & frigidiori cælo & in corporibus non adeo in sudorem pronis per hanc viam non tam facile exeunt de corpore, & se observasse vult, sudorem copiosorem & uberiores urinas Aphthas reddidisse tutiores & leviores, & e contrario omnia, quæ has evacuationes minuebant, nocuisse. Porro & tempestas calida, pluviosa ad Aphthas gignendas proclivis est. Quod mihi derivari posse verisimile videtur a nimia laxitate corporis vaforumque, quam producere solet, ea enim circulatio fit lentior, sanguis non bene præparatur, copia feri mucosæque partis sanguinis accumulatur, quam ad Aphthas procreandas pronam esse, jam antea dictum est.

Desu-

---

( a ) Comment. de Apht. p. 30.



Desuper & habitus quoque corporis in regionibus Borealibus ad Aphthas pariendas magis idoneus ac in aliis regionibus videtur.

§. X.

Ex causis remotis videmus, causam Aphtharum proximam esse materiam quandam viscidam in sanguine generatam vel delatam, cum eodem circulanti, deinde ab eo separatam & depositam ad emissaria oris interni ultima ( §. V. ), quæ autem deposita materia ad dicta emissaria eadem obstruit, dum interim magis magisque adigitur & elevatur in apices conspicuas vi humorum a tergo urgentium.

§. XI.

Febris, cui Aphthæ se associant, quidem per Aphthas dijudicari vel eas in ea tanquam crisis considerari posse videtur. Materia nempe morbosa a partibus internis ad externas transfertur, adeoque a partibus nobilioribus ad ignobiliores protruditur. At! Quæ crisis imperfecta & lenta? Perfectæ enim crises, quæ diebus criticis morbos plenissime solvunt per has quam rarissime expectari possunt, crimumque signa adeo confusa & obscura in iis nobis offerunt, ut fere frustra captentur. Nihilo tamen minus imperfectas, quæ lente & sensim extirpant, quidquid in corpore malorum est, frequentissime dari constet.

D

His



His ergo non immerito Aphthæ annumerantur, Aphthæque tantum simulacrum criseos dici merentur. Hic enim effectus tardior & plerumque longius protrahitur, nec in dies tantum, sed in septimanas, nonnunquam menses. Certius vero eas tanquam signum malignitatis considerare possumus. Quanta perniciosa symptomata eas producere, si consideremus? Buccæ, labia totæque partes Aphthis occupatæ ob siccitatem crustamque, quam efficiunt, rigent ita, ut æger quandoque ne potum quidem ore tenere possit. Loquela impeditur, quia liquor salivofus & mucosus humectans & lubricans non debita copia vel omnino non in os effunditur. Sapor fere totus tollitur, ob crustam enim Aphthosam lingua ciborum acrimonia affici non potest. Nam in Physiologia demonstratur, gustum fieri, cum ciborum masticatorum, & cum saliva commixtorum, ac motu oris linguæ admotorum partes subtiles, exhalabiles intra poros vaginalium, papillas nerveas in lingua regentium, perveniant. Omnia vero hæc procedere non possunt, lingua crusta Aphthosa obrecta, vasisque resorbentibus obstructis. Respiratio omniumque rerum deglutitio impeditur, nisi plane tollitur, partes enim crusta Aphthosa obsita obrigent, totusque eorum motus promoveri non potest. In Aphthis densis omnia loca oris interni fauciumque occupata tumescere ita possunt, ut deglutitio fere plane tollatur & si circa fauces & laryngem, suffocatio minatur. Vascula



cula enim supposita obstructa dilatantur, elevantur tumoresque molestissimos creant.

Aegri alio adhuc in periculo versantur, dum læti vident has crustas decidere. Crustis deciduis nova producuntur Symptomata. Tam salivatio, quam dyarhœa succedunt, crusta enim vasorum ultima emissaria tegente decidua, adeoque causa obstructionis remota, vasa dilatata humorem quam copiosissime emittunt. Hæc salivatio non diu perdurans mox desinit, vasis enim dilatatis contractis statim evanescit. Pater meus singularem salivationis post deciduas Aphthas casum in ægra viginti trium annorum febre catharrali maligna, cui septimo die superveniebant Aphthæ, laborante observavit. Lingua fere per totum morbi decursum in parte posteriori circa uvulam nigra erat. Aphtharum fere maxima pars hora tertia unius cujusque diei pomeridiana decidebat & has deciduas salivatio quinque vel sex horas perdurans sequebatur magna, quæ in hisce quinque vel sex horis circiter tres libræ medicæ liquoris tenuis exspuebantur, ita ut Pater meus tanta salivatione miratus Patientem ante morbi ingressum forte Mercurium usam esse suspicaretur. Sed omnibus medicamentis antea usis examinatis suspicatio plane desinebat, præcipue cum gingivæ minimæ inflammatae nec turgescætae invenirentur. His quin-



que vel sex horis præterlapsis salivatio plane cessabat & novæ nascebantur Aphthæ. Quæ hora tertia pomeridiana alterius diei iterum decidebant & his decisis salivatio rursus incipiebat, qua iterum horis quinque vel sex præter lapsis cessata Aphthæ in conspectum veniebant novæ. Hac scena per octo circiter dies lusa idoneisque medicamentis usis, Aphthæ omnes plane decidebant nullæque oriebantur novæ. Eandem rationem pro causa Dyarhoeæ habere possumus. Dum saliva copiosa acris ab ægris cum cibis potuque deglutita intestina irritans Dyarhoeam excitat. Clb. Boerhave quidem decisis in tractu intestinorum Aphthæ effluxum humorum acrium copiosum pro causa Dyarhoeæ habet. Ast! cum existentia Aphtharum in intestinis nondum demonstrata sit, Dyarhoeaque simul cum salivatione desinat, hæc causa mihi improbabilis videtur. Hæc salivatio Dyarhoeaque bonæ sunt, si moderatæ, novæque Aphthæ non renascantur, ac vires adhuc superflint. In ægris vero longo morbo jam debilitatis a tali copiosa humorum evacuatione mors sequi potest, dum & ægri & medici salutem sperarent. Hinc multi medici adeo damnaverunt purgantium usum in Aphthæ. Ketelær ( a ) Hypercatharsin intra paucas horas lethalem ab usu purgantium in Aphthæ vidit.

---

( a ) in f. Comment. de Apht. p. 45. — 46.



vidit. Quia a saliva cum ingestis deglutita acriori irritabilia facta fuerant intestina. Si moderata vero hæc evacuatio sit, bono pro signo haberi potest; hac enim materia morbosa in corpore adhuc reman- sa e corpore educitur & tunc non novæ renascun- tur Aphthæ. Ast proh misero! si novæ propullu- lent Aphthæ, prægressis enim, salivationeque ac Dy- archoea viribus æger jam exhaustus novas vincere non potest.

Interdum etiam excoriatæ partes cruorem stil- lant, dolorificamque masticationem, ac deglutionem pariunt. Sed hoc non fieri ab inflammatione sub crustis tecta sed ab irritabilitate partium cuticula de- nudatarum puto. Omnes enim partes cuticula de- nudatæ rubræ ob vascula minima sanguifera nunc se optime ostendentia apparent, vasculaque facillime a cibis masticandis dilacerari acrique saliva erodi pos- sunt. Quandoque etiam singultus sive cardialgia a quibusvis deglutitis ingestis oriri potest. Clbr. van Swieten (a) tam singultum quam Cardialgiam per sex septimanas in viro sexagenario post Aphthas de- ciduas observavit, uti & Sydenham... Boerhave hunc singultum Cardialgiamque a locis ab Aphthis erosis in orificio ventriculi derivat. Sed hoc mihi impro- babile videtur, quia hoc existentiam Aphtharum in

D 3

ve tri-

---

(a) Comment. ad Aph. Borh, Tom. III. p. 210.



ventriculo & intestinis supponit, quod tamen adhuc demonstrandum est, potius mihi derivari posse videtur a sputo cum cibo potuque deglutito acriori affectiones spasticas excitante, præcipue si ventriculus magna gaudeat irritabilitate,

Multo magis vero iis dubitandum est, quæ Magnus Boerhave in §.991. nobis tradit, quod nempe Aphthæ intestina obregentes lenteriam promovere possint, tam quia existentia Aphtharum in intestinis nondum demonstrationibus certior reddita est, quam quia nullus autorum mentionem de Lienteria ab Aphthis in intestinis orta movet. Quotiescunque vero Lienteria adesset, totus ventriculus intestinaque Aphthis obducta esse deberent. Sed nonne ea citius mortem quam Lienteriam crearet? Quomodo ingesta e ventriculo in duodenum venirent? Ventriculo enim intestinisque totis obductis Aphthis Valvula in Pyloro certe etiam iis occupata rigescens quomodo ad transmittendos cibos dilatari posse? Posito etiam ingesta per Pylorum ad intestinum duodenum pervenire possent, quomodo ea motu peristaltico per crustam aphthosam impedito ulterius promoveri possent? Cuique enim ex anatomia notum erit Duodenum mox ascendere, tunc descendere, deinde rursus ascendere. Quis vero cibum potumque suo proprio Marte ascendere posse statueret? Ingesta enim lege hydraulica sua graviditate semper descendunt, nunquam



quam vero ascendunt. Etiam si Intestinum Duode-  
num eo in loco, ubi Ductus Cholidochus & Pan-  
creaticus Virfungianus perforat illud, tali crusta Aph-  
thosa obfessum esset, necessario Ductus Cholidochus  
ab illa obstrui & bilis ingressus prohiberi indeque  
Icterus procreari deberet. Præterea Clb. Boerhave  
in §. 989. dicit, si crustæ admodum lentæ, crassæ,  
laræ, compactæ essent, sæpe suffocatam carnem sub-  
jectam, inflammatam, suppuratam, gangrenosam re-  
periri, immo quandoque in dira ulcera mutari, ero-  
so quandoque in os palati usque ejus involucro. Sed  
hæc de re Practicorum judicium esto.

§. XII.

Febribus autem, in quibus Aphthæ proveniunt,  
signa non sunt, quæ, has metuendas esse, docent.  
Si vero Magnus Boerhavius (a) nobis quædam tra-  
dit, experientia non comparata sunt. Sunt enim tan-  
tum signa communium febrium exanthematicarum.  
Signa, ex quibus Clb. Boerhave Aphthas futuras  
cognoscere vult, sunt Anxietas ingens sæpe repetens  
circa præcordia, prostratus appetitus, magna & per-  
petua nausea, vomitus, debilitas magna, magna eva-  
cuatio quorumcunque humorum &c. Quis vero ex his  
proxime instantes Aphthas cognoscere potest? Non-  
ne hæc sunt signa uniuscujusque febris exthematicæ?  
Quæ-

---

( a ) in f. aphor. de Cogn. & cur. morb. §. 983.



Quævis materia morbosa ad præcordia delata anxietatem promovere potest. Ubi inveniemus fere febrem sine prostratu appetitu? Et sic de reliquis.

Quomodo vero nec proxime prodituras Aphthas præfagire possumus, ita etiam nec signa certa, ex quibus majus minusve periculum Aphtharum præsentium cognoscitur, enumerare possumus, teste Ketelaro "Aphthæ, inquit, medicos idemdem "fallunt, & præsentem non meliori fide agunt, si "ex illis salutem vel mortem hariolari vellent. (a)" Ergo eas nec bonas nec malas habere possumus, Sed si Aphthæ in iis produnt diebus, quibus stadium coctionis expectandum est, ex gr. septimo vel nono morbi die Aphthæ meliorem nobis dant prognosin iis in stadio cruditatis jam apparentibus. Criticam enim esse tunc metastasin, illam depositionem materiæ morbosæ, unde Aphthæ oriuntur, ad superficiem oris interni, plurima docent observata. Clbr. van Swieten criticis diebus vidit prodire Aphthas cum insigni morbi levamine, & longe minus tutas eas invenit, dum alio morbi tempore erumperent. Ketelar (b) etiam fatetur, Aphthas esse mitiores post conflictum naturæ & morbi cum signis concoctionis a septimo vel nono morbi die. Sed  
con-

---

( a ) in f. Comm. de Apht. p. 28.

( b ) Ibidem, p. 30.



condemnat eas, quæ ante subactam morbi materiam  
proveniunt. " Nam ut omnis, dicit, porro anadro-  
" me materiæ peccatæ ac coctæ vel per se anago-  
" gem salutarem habet, ita crudæ & ferocientis vel  
" nullam vel difficilem. " Bonæ Indolis sunt magna  
non copia erumpentes, partemque occupatam nec  
totam obducentes, ægrique non tanto in periculo  
versantur. Ketelær (a) eas etiam mitiores tutiores-  
que observavit, quæ non ita magna copia emergunt.  
Interdum etiam vires vitales adeo prostratæ sunt, ut  
non sufficiant ad expellendam per hæc loca materiam  
morbosam, & ob talem causam possunt prodire pau-  
cæ, sed malo tunc omine. Observatione Clbr. van  
Swieten (b) bonæ sunt cessante aut remittente febre  
emergentes pacatisque plerisque symptomatibus. Ci-  
toque decedentes boni ominis observavit, Ketelær. (c)  
Bonæque sunt ex ore in imas fauces descendentes,  
pessimæ vero, si ex imis faucibus in os ascendunt,  
tunc enim suffocationis periculum est. Appetitus diu  
prostratus nunc rediens salutis spem ostendit. Porro  
mitiores tutioresque sunt, quæ constantibus viribus  
proveniunt.

Quo vero ad cineritium aut rævum colorem ma-  
gis vergunt. Quo segnius ac difficiliter secedunt

E

adeo.

---

( a ) in s. Comment. de Apht. p. 30.

( b ) in Comment. ad Aphor. Borh. Tom. III. §. 984.

( c ) in Comment. de Apht. p. 30.



adeoque subjectis partibus hærent arctius. Quo plures occupant partes perdurantque diutius: eo sunt periculofiores nocentioresque. Observatione Ketelæri (a) illæ etiam inturæ sunt, quæ aliquoties evanescendo repetis ictibus & insultibus naturæ negotium facessunt, & non nisi summa ægri diligentia ac medici cura ope medicamentorum laboriose revocantur. Qua indole maximam partem illæ sunt, quæ ante subactam morbi materiam proveniunt. Porro dicit Ketelær (b) malum esse immo exitiale, si mulieri seu statim seu intempestivi menses profluxerint, hi enim sunt signum maximæ ex putredine resolutionis sanguinis, illi vero revulsionis lege ab iis locis, ubi cum salute ægri depositum erat, in diversam internamque regionem miasma apthodes trahunt. Ketelær enim sæpissime vidit (c) etiam in vegeta ætate, cum ab Aphthis nihil aut periculi perparum imminere videretur, a sola mensium eruptione omnia in pejus ruere & retro sublapsa referri. Eadem ratione malas vel maxime ambiguas reddit Aphthas, si alvus liquatur aut hæmorrhoidalis sanguis fluit, sique primis morbi diebus nullæ evacuationes fuerint adhibitæ (d) uti & si catharrus Aphtharum

---

(a) In Comment. de Aphth. p. 30.

(b) Ibidem p. 31.

(c) Comment. de Aphth. p. 31.

(d) Ibidem.



tharum tempore in fauces vel vicinas partes procu-  
buerit. (e)

Ætas etiam in Aphthosa Febre consideranda est. Si in senili ætate proveniunt, perniciosæ, vires enim vitales ita prostratæ sunt, ut non sufficiant ad expellendam materiam morbosam. Ex iis in ætate adulta provenientibus salutem sperare possumus. Nec observatio genii morbi adjuncti de memoria perdi debet. Aphthæ enim illæ, quæ in morbis putridis, ubi humores putredine sunt correpti, sunt malæ indolis, uti & quæ oriuntur in morbis, in quibus corruptela viscerum adest, ut in ultimo Phtyfis statu, sine gravioris Peripneumoniæ, Hepatitidis & Hydrophis inveteratæ, ubi liquores stagnantes jam putrefacti, mali sunt præ sagii, immo quam plurimum lethales. In fine Dysentericæ, ubi materia morbosâ ad intestina delata non satis apto tempore educta, sed in sanguinem reducta est, Aphthæ malo oriuntur omine & fere semper lethum inferunt. Observatione Clbr. Sydenhami.

Sed & sexus quoque consideratione dignus est. Aphthæ enim, si proveniunt in graviditate boni præ sagii esse non possunt.

E 2

§. XII.

---

(a) vid. Kætelær. Comment. de Aphth. p. 31.



§. XIII.

Aphthæ magna ergo similitudine gauderi mihi videntur cum exanthematibus miliaribus. Hæc enim sunt Pustulæ rubræ vel albæ cutis, & originem suam debent obstructioni ultimorum emissariorum cutis a fero viscido vel sanguine nimis dissoluto, errore loci in vasa minima impulsio, ea vi vitæ extendente, pustulasque Aphthis similes faciente. Liquore contento his in pustulis exsiccato, miliaria decidunt, renascunturque quandoque novæ prorsus similes pustulæ prioribus. Fitne idem de Aphthis? Sed & plura similia his Aphthis observantur in miliaribus. Quo pustulæ miliares copiosiores; eo pejores. Quo magis ad colorem fuscum vergunt, eo periculosiores sunt. Sed idne idem de Aphthis observatur? Subito quandoque evanescent miliaria exanthemata summo cum periculo ægri, anxietates tunc circa præcordia promovent, febremque exacerbant. Sed & observatur, intra paucarum horarum spatium Aphthas interdum disparere eodem cum periculo Ægri, easdemque creare molestias, quæ non prius levantur donec novæ prodierint Aphthæ. Iisdem porro febribus, quibus se associare solent Aphthæ, etiam superveniunt exanthemata miliaria. In quantum ergo conveniunt Aphthæ & miliaria inter se? Ideoque Clbr. van Swieten cum jure concludere videtur, quod quandoque in illis locis, ubi Aphthæ non occurrunt, observentur frequentissime exanthemata,



mata, miliaria dicta, in externa corporis superficie, similisque materia ad os deferreretur morbosa, quæ in exanthematibus miliaribus, ad superficiem corporis protruderetur.

§. XIV.

Nec incongruum mihi videtur, hic etiam commemorare, Clarissimum de Hæn (a) omnia exanthemata pro factitiis habentem idem de Aphthis judicare, Aphthasque in Belgia calidis secundum Methodum Sylvii medicamenti creatum esse, sed uso nunc Methodo Sydenhami Boerhaviique Aphthas rarius apparere, affirmare. "Seque vidisse, inquit, (b) Boerhaviium venerabilem senem gloriantem & exultantem, quod in dies Aphtharum crebritas minueretur, spemque sui interitus daret." Et porro dicit se ipsum ultimis Præxeos suæ Batavæ annis rarissime vidisse in febribus Aphthas, cum antea fere nulla febris sine Aphthis finem suam attingeret. Non nego, tunc temporis, ubi Sylviani principia prævalebant, morbos acutos omnesque febres tam inflammatorias quam continuas putridas & petechizantes ex acido originem suam trahere sustinebatur, morbosque hos omnes sine distinctione salibus volatilibus alcalinis, aro-

E 3

maticis,

---

(a) In f Ration. Medend. part. VIII. Cap. VIII. & part. X. Cap. V.

(b) Ibidem in part. VIII. Cap. III. p. 114.



maticis, calidisque aliis medicamentis curabantur, Aphthas multas factitias fuisse. Sed quoties Aphthæ in febribus aparuerunt, ubi nec medicamenta calida nec ullum aliud medicamen usurpata fuerunt? Quotiesque Medici Methodo Hypocratica utentes Aphthas febribus se associare, obseruarunt?

Cuine ergo improbable videtur Clarissimum de Hæn Aphthas nunquam absque Medicamentis calificantibus nasci nobisque sine calidis carere Aphthas, affirmare velle. Clbr. etiam Professor Leidenfrost, Præceptor meus summe Colendus & Clarissimus Vogel & Pater meus etiam Aphthas obseruarunt, absque omnibus medicamentis calidis antea usurpatis.

§. XV.

Proximum erge nunc est, ut ad Curam progrediar.

Varia variis temporibus Medicamenta contra hunc morbum fuere excogitata & applicata, quorum multa ob sinistrum effectum in hoc morbo sunt rejecta, immo nec defuere, qui pannis rudioribus & plagis eburneis Crustam aphthosam abradere vel elevare conati sunt, quo provocaverunt hæmorrhagias inflammationesque dolentissimas & ulcera.

Hifce



Hisce vero temporibus fortunatiori cum successu illarum Curatio absolvitur. Ad varias ergo cogitationes nostræ dirigendæ sunt indicationes.

Cum Aphthæ species Criseos sint, liquet ergo Naturam nullo modo in hoc molimine excretorio turbandam esse. Contra vero talia adhibenda, quæ eam ipsam adjuvent quæque Crustas quantotius ad lapsum disponunt. Quo enim diutius Aphthæ parti insident, eo magis ad putredinem vergunt. Quocitius ita separatio promoveri potest, eo purior os servatur. Ut vero Natura nullo modo in depositione critica impediatur, febrem dirigere nos scire debemus, ut nec nimis torpeat, nec nimis intensa sit. Febris enim nimis intensa temperanda est, ne humores omnibus particulis liquidioribus priventur, numerusque Aphtharum augeatur. Excitanda vero est febris nimis torpens, ne Aphthæ impediatur ultra erumpere, neque materia illarum detineatur in sanguine, & forte graviora producantur symptomata ex ejus depositione ad partes nobiliores, sed ut lapsus earum acceleretur.

Summi ergo usus erit, breviter indicare signa, ex quibus cognoscitur, impetum esse nimium vel nimis debilem.

Omnium



Omniū certissimū Signū febris nimis intensæ præter pulsū durum, plenum celeremque dat Calor. Magnus enim notat vas arctum, humorem densum, propulsionem humorum validam & resistencias magnas circa fines vaporum. Hodie autem thermometro gradum Caloris, qui in sanitate adest, determinare possumus & videre, quanto excessu Calor ægotantis illum gradum superet & ex illo excessu cognito varium discrimen præfagire. Præterea si illa corporis loca quæ naturaliter semper humida sunt, exarescere incipiunt. Febris enim nimio impetu liquidissima expelluntur & sanguis diluente vehiculo suo privatus incrassatur & ubique circa vaporum angustias hæere incipit.

Cognoscimus autem nimis torpere febrilem motum, si pulsus languidus celer, inæqualis & debilis sit, projectæ vires, color urinæ pallidus, calor parvus, nullibi major, quam in temperie frigida sana.

Inquirendum nunc est, quibus Remediis moderamen obtineri possit, quando febris impetus exorbitare videtur. Aegri ab omni cibo potuque abstinere debent, qui vel quantitate nimia, vel qualitate motum, qui jam nimius est, augere potest. Viçtus tenuis, hordei, avenæ, oryzæ, panis &c. decocta, potus aquæ præcipue tepidæ laxando partes solidas & diluendo motum minuet & acrimoniam enervabit.



bit. Ad eundem scopum porro facit, si agrotantes utuntr copia magna diluentis, attenuantis & detergentis Medicinæ, iis enim lentor materiæ morbosæ attenuabitur & vasa laxabuntur, ut facilius transmittant. In primis vero ptisanæ diluentis & resolventis usus conducit ex Rad. Chinæ, Scorzonæræ, hordeo, passulis minoribus, hæc Conc. Cont. coquuntur in aqua fontana ad consumptionem unius partis, & dein Colaturæ addi potest vel Mel despumatum vel Nitrum. Hæc Ptisana pro potu ordinario usurpari potest. Ubi plus est diluendum, quantitas aquæ est augenda. Ubi plus resolvendum, dosis Nitri vel Mellis duplicanda est. Clb. Boerhave in sua Materia Medica laudat decoctum ex amygdalis dulcibus excorticatis contusis, Pistaciis, seminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus contusis, avena excorticata, cujus colaturæ additur Radix excorticata Glyzyrhicæ. Hoc decoctum ad bibendum & os fatucisque colluendum datur. Porro ad eundem finem nobis decoctum communicat ex Radicibus Pastinacæ, tenuifol. rubr., Sisari, Chinæ, Sarsaparillæ, Raparum, Hordeo integro, cujus colaturæ addere jubet Syrupum Althææ.

Ubi vero segnior apparet febris impetus, opus est talibus, quæ nimis debilem motum incitare possunt eo usque, ut ad materiam morbosam coquendam expellendamque aptus sit, tali ramen mo-



deramine, ne nimis aucto motu dissipentur liquidissima.

Opus ergo est Cardiacis, quæ causarum motricium efficaciam in movenda materia majorem reddunt, quæ desumuntur ex sequentibus. Cibo potuque meraciori. Patet autem cavendum esse, ne exhibeantur tales cibi, qui in debili jam corpore subigi nequeunt, sed in spontaneam corruptionem tendunt. Carnia juscula, E. g. Gallinacea, gratis aromatibus condita, lac, oryza cum lacte cocta, ova forbilia huic indicationi sufficient. Omnibus autem cardiacis moventibus palmam præripit Vinum cum jusculis dilutum, quotidieque sumptum, præcipue si prudens medicus copiam vini augeat vel minuat, prout major minorve febrilis est motus, observatione Ketelæri. Grato enim & naturæ amico stimulo languentes vires excitat motumque nimis languidum auget, ut facilius excuti possit materiæ morbosæ residuum, ac mira penetrabilitate ingreditur vasa bibula. Copia vini enim in ore sano retenta mox expulsa vappida apparet, fragrantisque particulae jam resorbtae videntur, ita ut sæpius hoc repetito ebrietas sequi possit. Ketelæri (a) laudat illum potum puerperarum, qui suo tempore in usu erat, & non sine damno puerperis præbebatur, cum dicat, " ille potus

---

(a) In l. Comment. de Apht. pag. 40.



” tus puerperarum ex Vino Rhenano, ovis, cinamo-  
” mo, sacharo & croco confectus, sæpe omnibus  
” intentionibus solus satisfacit & , nisi calidior sitim  
” siccitatemque adaugeret, omnium, quæ promoven-  
” dis Aphthis sunt, magnum instar foret. ” Si au-  
tem dentis illis aromatibus, dilutum decocto panis  
vinum detur, tunc nihil inde mali metuendum est.

Attamen sæpe contingit, ut totum os internum fau-  
cesque Crusta Aphtharum adeo densa obsessas videa-  
mus, ut nihil transmittant, nihilque quandoque agro-  
tantes ore tenere possint & hinc cibo, immo potui,  
medicamentisque ingressus negatur, in tali casu nihil  
aliud superest, quam ut per externam corporis su-  
perficiem conemur introducere multum liquidi, ad  
quam rem apta sunt & fomenta & balnea ex simi-  
libus composita. Secundum van Swieten lac dupla  
aquæ copia dilutum profuit in tali casu, si huic mis-  
celæ calidæ nunc pedes nunc manus immergerentur.  
Ad hunc scopum etiam conducunt enemata ex simi-  
libus confecta aliquoties in alvo injecta, ut per venas  
resorbentes spiritus eorum in corpus traheretur.

Per hæc ergo supra memorata sustineantur vi-  
res, diluens datur sanguini, motus sanguinis leviter  
incitatur, si nimis sit segnior, ut humor vitalis fines  
canalium obstructas urgeat & removeat causam ob-  
structionis sicque patulæ viæ fiant, ut canalibus apertis



similis materia apthosa, si adhuc in corpore restet propelli possit. Ast! Crusta apthosa quandoque nimis est densa, pertinaciusque partibus adhæret, quam ut solo a tergo urgentis liquidi impulsu separari possit & decidere. Ergo secunda indicatio erit, Crustas Aptharum disponere in facilem citumque lapsum. Huic ergo indicationi satisfaciunt stomatica. Hæc sunt medicamenta liquida, quibus vel os colluitur vel quæ aliquot temporis spatium ori retenta exspuuntur. Et Gargarismata. Sed Medicamenta ad hunc finem apta eligenda sunt, excretionem minuentia, pustulas exsiccantia & adstringentia nobis cavenda, sed solum modo detergentia maturantiaque usurpanda sunt, uti & putredini resistentia, Aphthas non fugantia sed provocantia. Horum variæ dantur species. Præcipue vero laudatur Medicamen domesticum, nempe decoctum Raparum. Hoc decoctum gaudet vera virtute saponacea abstergente. Vera principia sachari habet. Sapore non est ingratum. Aegri e contrario illud bibunt libenter. Ejus vis augetur sacharo vel melle: sacharum enim etiam gaudet virtute abstergente sine omni erosione. Defectum Raparum recentium plebs supplere solet cerevisia tenui sacharata. Pulchre etiam prodest jusculum carnis vitulinæ cum oryza & rapis contritis coctum, ut continuo eo os foveatur gargarizeturque. Sed hæc menorata etiam pro potu ordinario commodissime inferviunt. Sed si abstergentibus magis artificialibus uti  
veli-



velimus, servire potest Decoctum ex radice lyquiritiæ, hordeo mundato, passulis minoribus, ficibus cum aqua fontana parata, adjecto colaturæ melle rosarum. Hoc decocto vel omni semihora vel hora os assidue collui potest, dolorem ardentem ab Aphthis levat deglutitionemque faciliat. Porro decoctum foliorum Malvæ, Altheæ, Parietariæ, Verbasci, Mercurialis, Alchimillæ, Radicum Altheæ, Bulborum Raparum, addito colaturæ melle vel melle rosarum, vel syrupo Altheæ Fernelii, vel vitello ovi &c.

Ad Aphthas debellandas nobis adhuc opus est remedio interno corruptionem humorum impediente. Decoctum Corticis Peruviani hic optime conducit. Cortex jam est medicamentum bonum in febribus putridis, ubi Aphthæ oriuntur, teste Sydenhamii (a) qui, cum de Aphthis, febrem quandam epidemicam sequentibus, agat, laudat Corticis Peruviani usum & valde asseveranter dicit, hoc remedium seperationem Aphtharum magis ullo alio facilitare, sed in illo casu Corticem Aegris dabat, ubi Aphthæ sponte decidere nolebant, sed morbum in longas hebdomades mensisque protrahebant. Febris licet continua esset, exacerbationes tamen ingruente nocte molestissimæ observabantur, non aliter ac si duplex tertiana vel quotidiana

F 3

tidiana

---

(a) In Scedul. Monit. de novæ febr. ingressu, p. 523.



ridiana fuisset (a). Et van Swieten corticem in tali casu bene conducere testimonio suo affirmat (b) ipseque verba hic ponere non incongruum erit. "Ausus, inquit, sum aliquoties, in agris ejusmodi debilioribus." (Cum antea, febres autumnales epidemice grassantes saepe febres continuas mentiri & postea mitescenti morbi impetu in veras intermittentes transire, dicat.) "Aphthis jam satis densis apparentibus, dare decoctum Corticis Peruviani, ut febrem compescerem: metuebam tamen, ne Corticis adstringens vis noceret Aphthis; sed credebam, me ex duobus malis minus eligere debere, & interponebam emollientissimorum decoctorum usum continuo, ut corrigerem illud mali, quod a cortice metuebam. Mirabar postea, Crustas aphthosae citius cecidisse quam in illis, in quibus firmiores vires & febris mitior Corticis usum non postulaverant." Vis Corticis adstringens etiam corrigitur, si cum tenui decocto ejus emulsio fiat cum seminibus quatuor frigidis majoribus, addendo simul pauculum Gummi arabici. Corticis vis etiam eximia est, quando Aphthae incipiunt nigrescere, pulsus interim summe debilis, celer ac inaequalis & vires summo opere prostratae sunt, ita ut gangraena & sphacelus metuendus sit, tunc certe nulla salutis spes nisi per Corticem speranda est. Caute la adhuc respectu conditionis Alvi

in

(a) In Schedul. monitor. de novae febris ingressu, p. 219.

(b) In f. Comment. ad Aph. Boerh. Tom. III. p. 214.



in Aphthis observanda est. Alvus ultra duos dies obstructa esse non debet, quovis vel altero die alvus sollicitanda est clystere leniente ac molliente, & si acri summopere averfantur clystere: tunc glande vel suppositorio. In omnibus enim acutis morbis, in primis acutioribus contingit, ut, licet crassæ & indomitæ ciborum reliquæ in intestinis nullæ colligantur, quia nihil aut parum earum rerum assumitur, tamen a vasis secretoriis semper quædam in intestina deponantur, quæ ad alendum corpus inidonea sunt. Ne igitur hæc magis corrumpantur, naturæque molesta sint, tempestive provocanda sunt. Sed cautio respectu purgantium est adhibenda, ne Materia Aphthodes introrsum proritetur. Usus purgantium solummodo ad certum tempus determinandus est. Quam diu Aphthæ adsint, purgans dari non debet & tamen in præsentia Aphtharum certo respectu necessaria sunt. Illa enim ab universo corpore & ulterioribus viis noxios quosque humores trahentia intra paucas horas hypercatharsin creant, quia natura jam ad alvi fluxus proclivis est. Tam in fine Aphtharum, quam in ipsis febribus, si aliæ circumstantiæ non prohibent, ante eruptionem earum utilissime exhiberi possunt & exhibenda sunt. In altero casu purgantia sunt necessaria, quia Aphthas tam lenes & tutas reddunt (a) naturaque nondum ad Diarrhoeas inclinat. In fine vero mali commendantur

---

(a) Ketelær in Comment. de Aphth. p. 34.



tur, ut Crustæ aphthosæ deciduæ deglutitæque expellantur per alvum, ne diutius relictae corrumpantur. Hic etiam circumspectio opus est, an una vice datum sufficiat nec ne? Boerhave (a) commendat tantum usum purgantium in fine Aphtharum & ratio, quare nobis commendat (b) est, quia alias deciduæ Aphthæ oesophagum, ventriculum intestinaque obsidentes maxime gravabant primas vias. Sed ut supra vidimus, de iis adhuc dubitandum est. Sed purgantia sunt eligenda quæ roborandi facultate simul gaudent. Clbr. Boerhave in sua Materia Medica laudat Decoctum Rhei & Myrobalan. Citrin., admixto syrupo de cichoreo cum rheo. Sed etiam alia huic substitui possunt, si modo vim roborandi possideant.

Aphthis deciduis symptomata Aphthas frequentia debellanda sunt. Quantum Diarrhoea modica affert commodum, tantum affert damnum immoderatus alvi fluxus. Hic ergo coerceri debet Remediis leviter adstringentibus. Cornu Cervi ustum hic virtutem alterantem induit. Theriaca Andromachi antispasmodicam sensibilitatemque minuentem. Formula ergo sequens bene hic conducere potest, ex Pulveris Cornu Cervi usti præparati drachmis tribus. Croci orientalis granis sex. Theriaca Andromachi

---

(a) In Aphor. § 990.

(b) Vide ejus Aphor. p. 215.



machi granis duobus. Misceantur & dividantur in partes sex æquales & omni trihorio sumatur cum aqua vel ptyana una ejus pars.

Sed difficillime determinandum est, an salivæ fluxus sit nimius, nec ne. Hic ergo subjectum considerandum erit, cum alius æger magno salivæ fluxu laborans non debilitetur, alius parvo vires amittat. Vires ergo ægri vitales considerationem merentur. Salivæ nimium profluvium Decocto Agrimonii cum melle despumato vel rosarum moderabitur, si eo omni semihora tepide os colluatur. Sed si hoc medicamento uso intra spatium viginti quatuor horarum non minueretur, immo si simul hæmorrhagia oris sequeretur duplices nobis sunt rationes ad fortius adstringens progrediendum, non vero ad validissimum, ne totus salivæ fluxus impediatur. Convenit in tali casu Decoctum florum balauustiorum cum melle despumato vel oxymelle ut antecedens usurpatum, uti & decoctum granatorum.

Porro Aphthis deciduis cruda excoriata loca apparent, & si densæ inprimis fuerint illæ crustæ aphthosæ, dolentissima sunt, ita ut liquidum ori assumtum dolorem pareat, nervuli enim subjacentes tegumento suo privati nimis acute sentiunt, qui dolor liamento leniendus est, id quod pulchre fieri potest ex vitellis ovorum, cremore lactis & syrupo

G

Papaveris



papaveris albi, cui Clbr. Boerhave adhuc addit aquam stillatitiam rosarum. Is linctus diu & assidue in ore est continendus & volvendus. Ad hunc scopum adhuc laudat in sua Materia Medica Clbr. Boerhave Gelatinas Cornu Cervi vel Carnis, bene spissas, in frustra conscissas, cujus frustrum saepe & assidue imponi linguæ debet, ut soluto ibi obliniat & sic lente deglutiatur. Nunc singultus molestus sub fine febris aphthosæ nobis adhuc debellandus est. Plerumque quidem post aliquot dierum spatium redintegratis viribus sponte evanescit, & vix unquam ægro periculum creat, vixque ullis eget medicamentis. Ubi vero pertinacior fuerit, nimisque diu duraverit: ei occurrendum est. Remediis propriis hic non opus est, sed mollissimo tantum victu & gelatinosis rebus. A purgantibus vomitoriisque maxime abstinendum est. Ventriculus enim nimis est irritabilis, facillimeque in inflammationem transit.

#### §. XVI.

Aphtharum ergo nostrarum prima peracta specie pervenimus ad secundam, ad quam Aphthæ numerantur, quæ nec cum febre proveniunt, nec febre succedunt, sed ad instar morbi primarii considerari debent. Has vero rursus in duas dividere species cogimur. Aptissime ergo mihi distingui posse in Aphthas simplices & ulcerosas videtur.

Prima



Prima harum Aphtharum species acutis (§. 3.) prorsus similis, sunt etiam pustulæ albicantes, os faucesque obsidentes, infantibus lactantibus familiares; jam primis octo diebus vel toto lactationis tempore propullulant, quæ nonnunquam propter ardorem & dolorem non modo inquietudines & clangoras clamores excitant, sed lactis quoque suctionem ipsamque deglutationem valde reddunt difficilem, nisi plane impossibilem.

Multi vero autores etiam antiquissimi has Aphthas noverunt. Hipocrates jam Aphthas recens natis familiares esse dicit. (a) Aetius etiam eas, inquit, præcipue in recens natis observare. (b) Porro inter recentiores de Aphthis infantum mentionem fecit Polisius, proprium caput de Aphthis nobis tradens (c) uti & Hoffman (d) qui eas definit per Pustulas, quæ os infantum, fauces & oesophagum obsident. Magnus Boerhave eas infantibus esse frequentes (e) dicit, & Ketelær eas observavit (f) & Clbr. Vogel (g) " ubi tam, inquit, periculosa non  
G 2 " sunt,

- 
- (a) In Aphor. 24. Sect. III. vid. §. nostrum 1.  
(b) In Libr. VIII. Cap. XI. - XII. p. 159. vid. §. nostr. 1.  
(c) In f. Myrrholog. p. 191.  
(d) In Supplem. Med. Rat. Syst., de præcip. morbis infantum. Cap. V. p. 43.  
(e) In f. Aphor. §. 982.  
(f) In Comment. de Apht. p. 21.  
(g) In f. Prælect. Acad. de Præc. M. C. §. 167.



” sunt, neque recens natorum Aphthæ cum Aphthis  
” acutis, sed admodum benignæ, nec aliud symptoma  
” præter ardorem in ore & difficilem suctionem atque  
” deglutitionem inducentes.” Nec Clb. Rosenstein obli-  
viscendus est, optime Aphthas infantum nobis descri-  
bens (a) & Klein earum mentionem fecit. (b) Harris  
eas infantibus sæpe supervenire dicit. (c) Porro &  
van Swieten eas inquit recens natis familiares magis  
esse, & ut plurimum satis benignas absque morbo  
validiori prægresso, immo raro occurrere infantes  
primis a nativitate septimanis ab his immunes esse. (d)

Sedes Aphtharum eadem est, ac in acutis. (§. V.)  
Hæ Aphthæ etiam sunt pustulæ, non vero ulcuscu-  
la, uti a quibusdam definiuntur, & hoc iisdem ex  
rationibus, quas in §. VI. dedimus, patet. Easdem  
etiam occupant patres, quibus acutæ insidere solent,  
linguam, uvam, fauces, palatum, gingivas ac labia.  
Sed an & in ventriculo intestinisque appareant, iis-  
dem de causis in §. VII. jam notatis dubitandum est?  
Licet Clbr. Rosenstein id statuit. Præterea id, quod  
§. VIII. de Aphthis acutis dictum est, etiam de  
Aphthis infantum valet.

Recens

- 
- (a) Siehe seine Anweisung zur Erkenntniß der Cur der Kinder  
Krankheiten 9ter Abschnitt.  
(b) In l. Interpr. Clin. p. 154.  
(c) De Morb. Infant. p. 90.  
(d) In Comm. ad Aphor. Boerh. Tom. III. p. 206.



Recensnati Aphthis corripuntur.

Imo. Primis post nativitatem suam diebus. Vel  
IIdo. In tempore lactationis. Vel Illtio. Tempore  
Dentitionis.

Causæ remotæ Aphtharum recensnatorum mihi  
esse videntur.

Imo. Mucidus gelatinosus humor, quo os,  
ventriculus, ac intestina in utero materno repleta in-  
veniuntur, si os non bene depuretur, ultima emis-  
saria oris obstruere potest.

IIdo. Humor hic tenax cum Meconio non fa-  
tis evacuatus, ex intestinis per vasa lactea, vel re-  
sorbentia crassorum intestinorum sanguinem ingressus  
atque ad ultima emissaria oris delatus Aphthas pro-  
ducit.

Illæ Aphthæ, quibus torquentur infantes toto  
lactationis tempore, pro causa agnoscunt vel lac nu-  
triciis sponte sua in infantum ventriculo nimis cito  
acescens & coagulans, vel ex constitutione infantis  
& viscerum chylopeicorum nimia debilitate, & bile  
non satis saturata lac aliter bonum acescens & in  
ventriculo intestinisque coagulatum. Mora autem  
lac coagulatum in ventriculo acrius factum, bilique  
G 3 ineri-



inertiori vel copia deficiente admixtum, colorem flavum in viridem cum grumis caseosis mutat. Bilis enim cum acidis mixta viridem colorem ex flavo induit. A tali acrimonia continuo pejori reddita tormina, dolores aliaque symptomata oriuntur. Si infantes sint nimis debiles. Si viscera chylopoetica suo robore sint destituta, sique bilis sit nimis iners vel copia deficiat, lac in naturam humanam mutari non potest, sed sua sponte acefcens coagulatur.

Coagulum introitum ductus cholidochi in intestinum Duodenum obstruens icterum procreat. Si mul emaciantur toto corpore infantes, abdomen a colostro in intestinis coacervato intumescit, & nisi illud evacuari possit, acidumque edomari, misere perent. Talis materia resorpta cum sanguine circulans ad emissaria ultima oris deponi potest. Si acrimonia stimulat intestina, colliquans Diarrhoea sequitur, quæ partibus aquosis ex sanguine protrusis serum viscidum tenaxque relinquit, quod ad fauces osque datatum Aphthas producere potest. Clb. Fraccafusus, Medicus Veronensis \*) Aphtharum infantium causas tum in laxiori solidorum fabrica, heterogeneas in sanguine particulas producente, tum in lacte materno sæpius vitiato, ponit.

Ad

---

\*) In operibus suis Physiologico - Pathologicis.



Ad causas remotas variæ adhuc a variis authoribus numerantur. Clbr. de Rosenstein lac in ore acetens pro causâ Aphtharum infantum remota habet. Cum (a) " Nichtsdestoweniger, inquit, solche, " welche an der Brust einschlafen, indem es sich oft zu " trägt, daß sie der Schlaf überfällt, wan sie noch etz " was Milch im Munde haben, welche alsdenn saur und " scharf wird. Ast! immerito id Causis Aphtharum infantum remotis annumerat. Acida topica enim Aphthas retropellunt magis, quam promovent. Et de Rosenstein ad Aphthas debellandas acidis topicis utitur. (b) Clbr. Hoffmannus ad causas remotas refert turundas ex linteo contortas cum mica panis vel sacharo repletas, quibus laxiori faucium compagi vim quandam inferunt, nec non frustula panis cerevisiæ intincta & infanti ad sugendum oblata. (c) Quæ quidem oris interni partes irritant affluxumque humorum ad os promovent, sed nunquam sua sponte Aphthas procreabunt; ipso testante Authore.

Dentitio difficilis ac dolorosa causa Aphtharum infantium remota esse potest, testante Hoffmanno (d) & de Rosenstein (e) gingivis tumentibus ac in-  
&

---

(a) In s. Anweisung z. Erkent. der Kinder Krankh. p. 37.

(b) Ibidem.

(c) In Supplem. Med. Rat. Syst. p. 45.

(d) Ibidem p. 44.

(e) In s. Anweis. zu den Kinder Krankh. p. 38.



flammatis, dolore inde orta nervi irritantur, salivæ affluxus ad os augetur, ductilisque ac tenax lymphæ in ore sæpe pendet, & si alvus est simul constipata, vel perpetua Diarrhoea infantes cruciat, quæ liquidissima sanguinis exhauriens tenax relinquit. Ergo dentitio difficilis non immerito ad harum Aphtharum causas numeratur.

Ex causis remotis patet, causam proximam harum Aphtharum esse materiam viscidam ultima emissaria oris obstructentem ac in acutis, eademque gignit symptomata quæ in §. XI. de acutis recitavimus; nisi quod nulla febris in principio eas comitetur: eadem ergo etiam ex iis pragnosis hariolari potest. Quo magis nempe ad colorem nigrum vergunt: eo peiores. Quo densior est crusta diutiusque adhæret eo periculosiores sunt Aphthæ. &c.

Ad curam ergo transiamus & primo videamus, an Aphthæ infantum præcaveri & quibus remediis fieri possit? Ad hunc scopum servire potest, quod Nutrix, quotidie os infantis inspiciens, purum servet. Optime hoc fit cum Decocto vel mere aquoso, vel cui paucillum vini ad mixtum est, ex foliis salviæ addito colaturæ melle despumato. Nutrix digitum linteolo hoc decocto madefacto circumvolutum in  
ore



ore infantis circumducere potest, præcipue ubi locum album animadvertit.

Cum vero etiam Meconium non satis evacuatam materiam Aphthodes præbeat, curandum est, ut id expellatur. Sed cum & hoc variis de causis dependeat, varia etiam adhibenda sunt medicamenta. Si vis expellens nimis sopita causa retentionis fit, quæ cognoscitur, si nullos nixus ad deponendam alvum faciet infans, vel admodum debiles tantum, facile tum patet, leni stimulo purganti opus esse. Hinc conducit syrupus de cichoreo cum rheo, syrupus rosarum solut: simplex, manna, suppositoria etiam ad hunc finem adhibentur, quæ vel mole sola vel leni stimulo addito leviter irritant finem intestini recti, unde stimulus, alvum deponendi, sequitur. Sebum candelarum in conum parvum formatum solum agit, etiam globulus exiguus factus ex saccharo, vel ex melle ad duritiem cocto similem effectum edit. Hæc suppositoria oleo inuncta in anum immitti possunt. Sed & cardiaco suavissimo & leni opus est, si infans nimis debilis fuerit, ad hunc scopum Clb. Boerhave (a) mell., vinum hispanicum & vitella ovarum laudat, uti & aquam stillatiam cinamomi, Elixirium proprietatis cum sale tartari præparatum, syrupum kermes.

H

Si

---

(a) In f. Mater. Med., Sect. 1346.



Si durties materiae minorem iusto evacuationem causet, & picea sua tenacitate per alvum exire non potest, sicque nimis diu hærens indurescit, usus haustus feri lactis recentis cum pauco melle diluti, clyisma ex fero lactis, sapone veneto vel melle prodest.

Nunc pervenimus ad secundam classem causarum Aphtharum infantum remotarum, quæ est lac statim in ventriculo coagulans & acescens.

Hoc solvi potest bile, vitello ovorum, sapone ex oleo presso & sale alcalino fixo parato. Bilis, si bona fuerit & satis copiosa in infante, lac in ventriculo coagulatum solvit, dum ipsi in intestino Duodeno miscetur. Ergo si bile in infante inertiore vel copia deficiente lac in ventriculo coagulet, Medici infantibus dederunt & congruam invenerunt bilem, in alio animali sano paratam, in corpus infantum ingerendi, sed ob amaritiam, difficultatem sumendi parientem, clysmatibus admiscuerunt. Fel bubulum leni igne inspissatum in officinis prostat, ex quo addito paucillo croci pulvere, parvi ponderis pillulæ, rite deaurandæ, conficiuntur, quorum aliquot semel aut bis de die crassiori puliculo tectorum dantur. Id interdum bene succedit. Quidam vero vesiculam fel-  
lis,



lis, bile plenam ex anguilla pisce sumtam, usurparunt. Hæc bilis alia efficacior creditur, partim quia anguilla, dentibus non instructa, cibos tamen bene digerit, partim ideo placebat, quod meraca hæc bilis, nulla igne mutata, proprio folliculo contenta, dum deglutita in ventriculo hæret, sensim stillaret per ductum angustum & sic contentis in ventriculo misceretur.

Et vitello ovorum scopum nostrum attingere possumus, gaudet enim vi, olea cum aqua miscendi, resinarumque tenacitatem frangendi. In coagulo vero non solum partem caseosam sed & butyraceam invenimus, quæ per vitellum ovorum commodo solvi potest.

Porro sapo ex oleo expresso & sale alcalino fixo paratus ad hunc scopum laudatur, in sapone enim manet antiqua salis lixiviosi vis, qua detergit & glutinosa attenuat. Sapo venetus larga quantitate a corpore humano fertur. Clb. Boerhave addidit rhabarbarum, lapides cancrorum & syrupum de althea pro edulcurando. Sapo etiam clysteribus adjici potest.



Quando lac nutricis ad acidam naturam nimis vergit & sua sponte coagulat, in victu nutricis causa quarendam, ideo ab omnibus cibis abstinere debet, quæ ad acidum vergunt, contra vero iis ad naturam alcalinam transeuntibus uti, nutricique ac infanti absorbentia dari possunt.

Sed his omnibus neglectis si Aphthæ prodierint ad remedium detergens cogitationes nostras dirigere debemus. Sed infantibus ad collutiones & gargarizationes ineptis linctus ex succo detergente prodest. Ad hunc scopum conducit succus raparum recentium expressus aliquoties de die pauca quantitate datus. Succus tepide usurpandus est. Linctus ex melle, syrupo mororum, spiritu nitri dulci tepide penicillo oris interni partibus Aphthis obsessis illinitus bene convenit. Clbr. de Rosenstein linctum ex roob diamorum, dianucis, melle rosato, & paucis guttis spiritus vitrioli, quantum sufficit ad lincto saporem acidulum donandum, eodem modo usurpatum laudat. Van Swieten syrupo violarum mellis vel sirupi Rhei aliqua quantitate addita matres infantibus Aphthis correptis succurrere cum illum lingendum exhiberent, dicit, hic Crustas Aphthosæ emollit & faris cito decidere facit. Clb. Hoffman laudat cremorem lactis cum syrupo papaveris albi,



vitello ovorum tantilloque nitro mixtum & vel digitis linteo involutis vel penicillo applicatum.

Aphthis deciduis loca, antea iis obseſſa, ſi rubra apparent, linctus ad hunc ſcopum in § XIII. jam recensitus conducere poteſt. Sed etiam linctus, quem clariffimus de Roſenſtein (a) laudat, ex Gelatina cydoniata vel per ſe vel ſimul ex ſyrupo ſempervi majoris confectus ſervire poteſt. Porro Aphthis deciduis leni purganti opus eſt, ad quod ſyrupus de Cichoreo cum Rheo conducere poteſt. Sed cautio maxima eſt adhibenda, Rheumque non ſimul ſed repetitis vicibus ac omnibus tribus horis paucillum ejus, donec effectum ediderit, dandum eſt. Intestina enim ut jam monui, maxime irritabilia ad Hypercatharſin proclivia ſunt. Ad Diarrhoeam minuendam Aphthas ſequentem Clbr. de Roſenſtein laudat Gummi Arabicum cum aquæ magna copia coctum, addito colaturæ ſyrupo emulſivo ex amygdalis, vel juſculum ex avena excorticata cum aqua & lacte paratum. (b)

H 3

§. XVII.

---

(a) In ſ. Harv. zu d. Kinder Krankh. p. 40.

(b) Ibidem p. 42.



§. XXVII.

Non vero solum infantes, sed & adulti cujuscunque ætatis Aphthis sine febre corripiti possunt, eas ergo considerandi in animo habemus. Et Clbr. Boerhave (a) bis viderat absque morbo prægresso produisse Aphthas densas, sed in solis labiis & in hominibus adultis cum felici eventu, & Magno ejus Commentatori (b) semel contigit videre in puella annua, absque ullo morbo præcedente Aphthas densissimas & fuscas totum os internum occupantes, a quibus pariter sanata est feliciter, nec febricitabat tote tempore, quo Aphthæ aderant, vixque aliam molestiam ullam videbatur pati, quam difficiliorem deglutitionem, & Clbr. Vogel eas observavit (c) absque morbo prægresso vel febre prodeuntes & Ketalar tot Aphthas observatus (d) "Memini, inquit, plurimis adfuisse me, qui in summa apurexia Aphthis tenerentur, quique præsensisse nullam febrem, ab omni graviore malo se immunes esse, afferaverint. Eadem, quæ in §. V. VI. VII. VIII. de Aphthis acutis diximus, valent etiam de his. Ad Causam ergo remotam transire volumus.

Prima

(a) Vide van Swieten Comment. ad Aphor. Borh. Tom. III. pag. 201.

(b) Ibidem pag. 201.

(c) In f. Prælect. Academ. de Cognosc. & Curand. præc. Corp. Affect. Cap. de Febr. Aphth. §. 167.

(d) In f. Comment. de Aphth. pag. 21.



Prima earum esse potest illa humorum viscido, quæ senibus est propria. Adeoque senes magis hoc morbo corripiuntur. In his enim longo diuturnoque multorum annorum circuitu humorum, omnique ictu cordis latera canalium magna vi ad se invicem comprimuntur, adeo ut vascula minima, ex quibus vasa majora contexta sunt comprimantur & latera illorum interna sibi applicentur, accrescant & coalescant, sic elementa magis magisque sibi adjununtur. Hinc oritur rigiditas vasorum, quæ causa est, quod vasa in dyastole non rite dilatentur, neque dilatatione prægressa rite contrahantur. Ergo una causa sanguinem propellens imminuitur, indeque humorum circuitus minor & tardior, hinc actio humorum minor in vasa & vasorum vice versa in humores, hinc sanguis indeque secreti humores lenti, viscidi.

SECUNDO. Huc referenda est quoque Cacoehymia illa, quæ oritur a vasis & visceribus nimis laxis & debilibus & imminutione motus animalis, inde actio humorum in vasa & reactio vasorum in humores sunt imminuta, adeoque humorum circuitus est minor & tardior, hinc humores sunt nimis lentescetes & facile transire possunt in vasa lateralia nimis laxa, in quibus magis viscidi ex mora fiunt.



Inter Ingesta culpandus erit cibus nimis viscidus ex nimis farinosis non fermentatis aut ex partibus gelatinosis animalium ut ex lacte, caseo, quorum enim usu copiosiore oriuntur cruditates in primis viis viscosæ, quæ in sanguinem resorbæ circulatione ad os depositæ causa Aphtharum remota esse possunt. Huc etiam pertinent cibi acidi acerbi, quales sunt fructus horræi immaturi, tales enim cibi adstringunt, incrassant, coagulant, hinc & Aphtharam causæ quandoque sunt remotæ.

Et motus musculorum nimius pro causa remota Aphtharum habendus est, quatenus auget motum humorum, partesque sanguinis aquosas dissipat & nimia musculorum quies, qua humorum motus insigniter minuitur, unde illorum actio in vasa & vasorum in humores fit lentior, quo humores viscidi redduntur.

Sed & Animi Affectus aliquid ad Aphthas producendas contribuere possunt. Hi enim, cum multorum & variorum morborum causa sunt, quoque hujus causa esse possunt, Cib. Vogel enim in Collegio suo practico de Aphthis agens nobis communicavit, aliquando contingere, ut homo alacris sanissimus ad omnes actiones homini proprias idoneus, terrore si percellatur, sentiat palpitationem cordis, lassitudinem membrorum, sibi statim venam secari curet,

curet  
hære  
Mag  
ribus  
ni de  
vaso  
cau  
  
Aph  
occu  
mines  
undiq  
sunt,  
telæ.  
da fu  
in ac  
toma  
  
erit  
caden  
res,  
tes.  
marga  
gis ver  
  
(a) In



curet, sequenti die os illius scetet Aphthis sibi ad-  
hærentibus, sine febre prægressa vel concomitante.  
Magnæ Evacuationes, Hæmorrhagiæ, quæ liquidio-  
ribus particulis sanguinem privant, vel sanguinis bo-  
ni defectum in corpore faciunt, hinc oritur debilitas  
vasorum & viscerum, quæ quomodo Aphtharum  
causa esse potest, supra jam dictum est.

Sed & quoque Aeris Locique Constitutio ad  
Aphthas gignendas confert. Omnium frequentissime  
occurrunt eæ, ubi in depressis & humidis locis ho-  
mines habitare coguntur. Hinc in Zelandia aquis  
undique congestoque aggere cincta adeo frequentes  
sunt, ut Endemium Morbum illius loci dixerit Ke-  
telær. (a) Sed imprimis autumno, si humida & cali-  
da fuerit tempestas. [Causa proxima eadem est ac  
in acutis, easdemque fere hæ Aphthæ creant symp-  
tomata, quæ in §. XI. de acutis dicta sunt.

Cum vero nec febris illas comitatur: eo facilius  
erit Prognosis. Bonæ sunt, tenues, molles, facile  
cadentes, adeoque non arcte adhærentes, indolen-  
tes, sparsæ, solitariæ, ex ore in faucibus descenden-  
tes. Optimæ, quibus color albus, pellucidus instar  
margaritarum. Quo vero ad cineritium Colorem ma-  
gis vergunt. Quo magis flavescentes sunt. Quo segnius  
diffici-

I

---

(a) In Comment. de Aplt. p. 27.



difficiliusque secedunt. Quo pluriore occupant partes, eo pejorem edunt effectum.

Ergoque nec febrem nimis intensam edomari, nec nimis sopitam acuere cum opus sit, solummodo tota nostra cura consistet in eo, quod Aphthas nimis adherentes ad lapsum promoveamus.

Hinc eadem medicamenta ad hunc scopum conducere possunt, quæ ad eum in Cura de Aphthis acutis memoravimus, iisdemque Remediis, ac in Aphthis acutis symptomata Aphthis deciduis debellare quimus.

§. XVIII.

Ad secundam ergo pervenimus speciem chronicarum Aphtharum, quæ ulcerosarum nomine designanda erit. Hæ sunt ulcuscula vera, parva in superficie macula albicante humore, quem fundunt, mucoso & glutinoso obiecta, in ambitu rubra & inflammata ac dolorifica, quæ tam in lingua, buccis & labiis, quam etiam in partibus naturalibus in conspectum veniunt.

Hanc speciem Antiquis majis cognitam perspectamque fuisse, facile patet. Hipocratem fere omnibus in locis, quos in §. I. memoravi, hanc speciem Aphtharum, solumque in Libro Epidemicorum III.

Textu

Tex  
pro  
idem  
facil  
thar  
gest  
lar  
" r  
" t  
" ti  
" ta  
" m  
" ru  
" sar  
" pa  
" ri  
" tic  
" nu  
bora  
  
ro a  
gingi  
funt  
cerat  
ter o  
  
(a) I



Textu VI. primam Aphtharum speciem intellexisse probabile videtur. Et Aretæum, & Aetium (§.I.) idem per descriptionem Aphtharum dicere voluisse, facile patebit. Sed & recentiores hanc speciem Aphtharum observarunt. Clb. van Swieten (a) eam vigesimo octavo labentis seculi Anno epidemice grassari vidit, quæ, " dicit porro, apud Plebem sæpe " neglecta erodebat genas, labia, gingivas cum intolerabili fœtore, præcipue in junioribus, in adultis enim minus frequenter occurrebat morbus, nec tam cito depascebat omnia vicina. Plerumque primo apparebat in gena alterutra tuberculum durum, dolens circa illum locum, ubi parotidis emissarium aperitur, fiebat levis excoariatio in genæ parte interiore, & post [paucas horas locus excoariatus alba quasi crusta tegebatur, unde in supurationem vergere credebant sæpe hunc morbum minus noscentes. " Et Clarissimus Vogel ipse iis laboravit per quartam anni partem.]

Talia ulcuscula sunt imo superficialia. 2do raro alias oris partes, quam linguam, labia interna ac gingivas occupant. 3tio indole sua vera ulcuscula sunt. Pars, cui insident extus non glabra sed exulcerata reperitur. Unum eundemque locum firmiter occupant. Margine rubro gaudent. Ulcusculum  
I 2
ardens

---

(a) In Comment. ad Aphor. Borh. Tom. III, §. 978.



ardens semper albicantem liquorem exstillat labia conglutinantem, mucoso glutinoso muco ulcuscula obteſta linguam ejusque apicem præcipue inſciant, quo loquelam impediunt. Mox diu durant, mox cito evaneſcunt. Hæ Aphthæ ulcerofæ quandoque etiam genitalia utriusque ſexus occupant & tunc rurfus varietatem efficiunt. Hic enim in conſpectum veniunt inſtar tuberculorum, quorum media pars depreſſa ſemper liquorem acrem emittit. Et hæc ratio videtur, quare quidam Authores de Aphthis venereis mentionem faciunt, ſed improprie ulceribus venereis nomen Aphtharum attribuitur. Hippocrates jam Aphthas ulcerofas in pudendis utriusque ſexus obſervavit. Illo vero tempore morbus venereus minime erat cognitus & longum tempus poſtea prius Medicinæ cultoribus notus factus eſt. Clb. van Swieten ( a ) vidit Aphthas ulcerofas in pudendis abſque ulla ſuſpitione luis venereæ. Joh. Babt. Michael. Sagar Circuli Iglavienſis Phyſicus in Moravia narrat in ſuo ſyſtemate ſymptomatico morborum, p. 15., ſe vidiffe in ſuis infantibus uno eodemque tempore Aphthas & in ore & in pudendis, & quidem epidemicas. Immerito etiam tumores illos gangrenofos maxillarum in duobus infantibus obſervatos ſub nomine Aphtharum deſcribit ( b ) van Lil, cum ne  
minimæ

( a ) in ſ. Comment. ad Aphor. Boerh. Tom. III. §. 978.

( b ) vide Comment. Societatis Scientiarum Harlemenſis. Tom. VIII., Part. I.



minime sub speciem Aphtharum redigendi sint. His Aphthis ulcerosis & adultos & infantes corripit & Aretæus & Hipocrates testantur.

Ex hac descriptione ergo Aphtharum ulcerosarum patet, causam illarum quidem etiam esse obstructionem ultimorum emissariorum, sed materiam obstructionem facientem alius esse indolis. In Aphthis non ulcerosis humores obstruentes sunt lenti, tenaces, hic vero summa gaudent acrimonia, qua vasa obstructa statim arroduntur & ulcera superficialia generantur. Verosimile mihi ergo videtur has Aphthas ortum suum ducere a Diathesi sanguinis & feri scorbutica ad loca supra memorata delata ubique vasa obstruente, inflammante & erodente. Quam, cum sanguinem partim nimis tenue, n, acrem, partim nimis crassum reddet, facile, ad Aphthas ulcerosas producendas aptam esse, patet, cum acrimonia scorbutica triplicis sit naturæ, acris falsæ, vel alcalinæ, vel acidæ, hinc cura interna cum Diæta in Aphthis ulcerosis ad singularem Diathesin scorbuticam est dirigenda. Sed hoc mei non est. Cura ergo tam interna quam externa cum ea Aphtharum non ulcerosarum minime convenit. Et cura externa ut ad acrimoniam acidam, vel salinam vel alcalinam prædominantem debellandam etiam est instituenda. Hæc fuit ratio, quare in Epidemia, quam Clb. van Swieten observavit, emollientia & demulcentia malum pejus redderent & spiritus salis marini



optimum ederet effectum. Dyathesis enim sanguinis alcalinæ naturæ erat; Putrefactio ergo augebatur emollientibus, quæ vero acido salino coercentur. Ob eandem rationem varia a variis authoribus remedia ad debellandas hasce Aphthas nobis traduntur. Clbr. Vogel nobis in suo Collegio practico recommendavit aquam levem Phagedenicam ex aquæ calcis vivi uncis duabus, Spiritus vini rectificatissimi uncia semi, mercurii sublimati corrosivi granis octo, quibus inter se commixtis aliquoties de die Aphthæ ulceroſæ penicillo humectari debent, dixitque hac aqua applicata ex Aphthis aquam tenuem pellucidamque effluere & Aphthas cito evanescere. Videmus talem aquam in ulceribus superficialiis cutaneis, a sero acri falso originem trahentibus, acrem humorem vicina rubefacientem stillantibus optimum edere effectum, ergo concludere possumus, quod in Aphthis ulceroſis tali falsæ acredini originem debentibus talis levis aqua Phagadenica non sine fructu usurpetur.


Si hæ Aphthæ partes genitales occupant. Conducisse Cathetica in forma linimenti, nobis asseveravit. Sed Aetas consideranda nobis est, pro infantibus servire potest linimentum ex lapide Calaminari præparato, (qui etiam Cadmia fossilis nominatur, gaudetque vi exsiccanti & adstringenti) pulvere myrrhæ electæ. Balsamo Peruviano, vel ejus Essentia, oleo ovorum, hujus quantitas sufficiens, quotidie bis



bis terque partibus affectis infricari potest. Sed simul infantibus purificans sanguinis ordinandum est, ad hunc scopum proficere potest Electuarium ex pulvere Radicis iridis florentinæ, Reguli antimonii medicinalis, Matris perlarum præparatarum, oleo destillato anisi, Syrupo de Cichoreo cum Rheo. Cujus unum capiatur cochlear parvum, hora matutina, pommeridiana & vespertina.

Pro adultis linimentum fortius conducere & confici potest ea Unguento populleo, & Mercurio præcipitato rubro ter de die externe usurpandum & partibus affectis infricandum.

Sed & varia adhuc Medicamenta ad has Aphthas laudantur. Hipocrates ad hunc scopum myrti baccis in vino decoctis pudendas colluere commendat & amygdalis tenuiter tritis illinere pudenda. Aetius Adstringentia, cydonia, mespila &c. in earum curatione laudavit. Celsus de cura harum Aphtharum agens talium usum, quæ adurendo Crustas ulceribus inducunt, ut aluminis, chalcitidis, atramenti tutorii exaltat. Ex hisce medicamentis diversimode a variis autoribus recommendatis sequitur, unicuique singulari acrimoniæ in hisce Aphthis ulcerosis specialia medicamenta specialemque diætam esse opponenda.





# COROLLARIA.

I.

*Datur liquidum nerveum.*

2.

*Fluxus cæliacus non a chylo solum ob impedimentum resorbtionis in intestinis remanente & ex alvo profluente oritur.*

3.

*Tendines non sentiunt.*

4.

*Ossa pelvis in Partu ab invicem non dimoventur.*

5.

*Dolores calculosi a calculo ipso non semper proficiscuntur.*

6.

*Fætus in utero materno per Venam umbilicalem & per os nutritur.*

7.

*Refrigeratur in Pulmonibus Sanguis.*

8.

*Obstruëtio venæ portæ non est solum causa affectionis hypochondriacæ.*



# ERRATA.

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	18. afficientia	<i>lege</i>	afficientia.
— —	10. —	3. emittentia	— —	emittentes.
— —	13. —	7. usculorum	— —	ulcuculorum.
— —	18. —	10. possunt	— —	possint.
— —	19. —	23. nequentes	— —	nequeutes.
— —	26. —	16. masticatorum	— —	masticorum.
— —	27. —	25. minimæ	— —	minime.
— —	46. —	6. grassantes	— —	grassantes. & lin. ead.
		mentiari	— —	mentiri.
— —	46. —	18. conticis	— —	corticis.
— —	56. —	13. pragnosis	— —	prognosis.
— —	58. —	10. presso	— —	expresso.
— —	71. —	10. ea	— —	ex.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

**TIFFEN** Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black



A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

● R  
● G  
● B  
● W  
 G  
 K  
● C  
● Y  
● M

**TIFFEN** Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007



11. -- 10. ca  
 12. -- 10. ca  
 13. -- 10. ca  
 14. -- 10. ca  
 15. -- 10. ca  
 16. -- 10. ca  
 17. -- 10. ca  
 18. -- 10. ca  
 19. -- 10. ca  
 20. -- 10. ca  
 21. -- 10. ca  
 22. -- 10. ca  
 23. -- 10. ca  
 24. -- 10. ca  
 25. -- 10. ca  
 26. -- 10. ca  
 27. -- 10. ca  
 28. -- 10. ca  
 29. -- 10. ca  
 30. -- 10. ca  
 31. -- 10. ca  
 32. -- 10. ca  
 33. -- 10. ca  
 34. -- 10. ca  
 35. -- 10. ca  
 36. -- 10. ca  
 37. -- 10. ca  
 38. -- 10. ca  
 39. -- 10. ca  
 40. -- 10. ca  
 41. -- 10. ca  
 42. -- 10. ca  
 43. -- 10. ca  
 44. -- 10. ca  
 45. -- 10. ca  
 46. -- 10. ca  
 47. -- 10. ca  
 48. -- 10. ca  
 49. -- 10. ca  
 50. -- 10. ca

719  
 719